


BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
23 C
2




2
H
2—13

[illegible] [illegible]

PROPUGNATIO PHILOSOPHIÆ THOMISTICÆ.



CONTRA
Carteſium, Gaſſendum, Cabeum, Maignanum, cæteroſque recentioris Philoſophiæ propagatores.

TOMUS PRIMUS.

Qui Logicam & Metaphyſicam complectitur.

Authore R. P. JOSEPHO RIVALIER *Congregationis Doctrinæ Christianæ Theologo, nec-non Philoſophiæ Profeſſore in Collegio Squillano Toloſæ primario.*

Ex Libris ...





TOLOSÆ,
Apud J. PECH, Comitiorum Fuxenſium Typographum, juxta Collegium PP. Societatis JESU, ſub ſigno Nominis JESU. 1683.



INDEX TITULORUM.



SECUNDA PARS LOGICÆ Minoris. 21




TERTIA PARS LOGICÆ Minoris.

De his quæ dirigunt tertiam mentis operationem. 31



LOGICA MAJOR.







QUÆSTIO II.



TRACTATUS II.

QUÆSTIO I.

QUÆSTIO II.

QUÆSTIO III.

QUÆSTIO IV.

QUÆSTIO V.

QUÆSTIO ULTIMA.



SECUNDA PARS LOGICÆ.


QUÆSTIO UNICA.



TERTIA LOGICÆ PARS.

QUÆSTIO UNICA.






APPROBATIO.

EGO THOMAS CHEVALIER Præpositus Generalis Congregationis Patrum Doctrinæ Christianæ, R. P. J. RIVALIER, ejusdem Congregationis Presbytero, & in primario Tolosæ Collegio Squillano Philosophiæ Professori facultatem concedo; ut Philosophiam, opus cui titulus est, *Propugnatio Philosophiæ Thomisticæ contra Cartesium, Gassendum, &c.* Ab ipso compositum, & à duobus nostræ Congregationis Theologis revisum & approbatum, Typis mandari faciat, ad communem studiosorum utilitatem. In quorum fidem præsentes literas manu propriâ subscripsi, & sigillo officii mei muniri feci. Datum Parisiis in domo nostra Sancti Caroli, die 1. Julii, anno 1683.

THOMAS CHEVALIER,
Superior Generalis.

De Mandato Rev. admodum Patris nostri Generalis.

ROBERT Secretarius.



APPROBATIO.

NON potuit mihi non probari Philosophia R. P. J. Rivalier, nostræ Congregationis Doctrinæ Christianæ Theologi ; & in hoc nostro Collegio Tolosano celeberrimi, ut pote, quæ est tota Angelica, tota Christiana. Partes tuetur Author Scholæ Thomisticæ, invictâ (si quis hactenus) animi fortitudine, nec ejus perspicuitati aliquid detrahit brevitas compendiosa. Hostes aggreditur quoscumque verioris Philosophiæ vincitque, ac penitus profligat novo, sed glorioso certamine. Legi totum hoc Opus, suo Authore dignissimum, nihil mihi succurrit Fidei Ortodoxæ contrarium, aut bonis moribus adversum. Arrisere singula. Placuere universa, nihil eorum prætermissum quæ possint Philosophiæ studiosum perfectè instituere, quæve curioso lectori planè satisfacere. Dignum igitur judicavi Opus, luce publica. Sic mecum sentient quicumque legent maximè novitatis osores, veritatis amici, atque utilitatis publicæ. Sic sentio. Tolosæ, die 3. Martii, ann. 1683.

MILHET Doctor Theol. Congreg. Doctr. Christ.

APPROBATIONES.

Hilosophicum hoc Opus, cui titulus est, *Propugnatio Philosophiæ Thomisticæ, con- a Cartesium, Gassendum, &c.* à R. P. J. IVALIER Philosophiæ Professore com- ositum perlegisse, & in eo nihil nos depre- endisse profitemur Catholicæ veritati, aut hristianæ pietati dissonum, omnibus, tum eteris, tum recentioris Philosophiæ aman- issimis placiturum prævidemus, quia pari erspicuitate utriusque Philosophiæ opinio- es exponit; dignum proinde illud Opus ju- licamus quod omnium manibus teratur, & n bonum publicum prælo mandetur. Datum Tolosæ, die 8. Aprilis, anni 1683.

F. JOSEPH. BRUNET,
Professor Regius.

F. MATHÆUS DANROS,
Doctor Regens Augustinianus.

PERMISSIO.

VISO Professorum testimonio, con- cedimus, ut præsens Opus Philosophi- cum, cui titulus est, *Propugnatio Philosophiæ Thomisticæ, &c.* prælo mandetur. Datum Tolosæ, die 8. Aprilis 1683.

MARAN Vic. gen.



JOANNES DE PARDEILLHAN In Præsidiali Auscorum Curiâ Regius Senator fiscî Advocatus, nec-non in Comitatu Fezensiacenci Procurator Regius, hujusce libri editionem, quam ipse suis enixis precibus ab Authore impetravit, studiosæ juventuti hoc Epigrammate gratulatur.

Supplice me in lucem Doctrina Thomistica prodit,
O Juvenes, quâ non purior ulla fuit,
Parcite nunc igitur calamis; liber iste legendus:
Vestra labore Typi scilicèt empta quies.
Angelici pretiosum Opus hoc Doctoris amate,
Quod breve, res mira est perspicuumquè simul,
Moxque RIVALERIUM, qui vos tam docta docebit,
Alterius, dociles, instar habete Thomæ.



INDEX TITULORUM METAPHYSICÆ.

QUÆSTIO I.

QUÆSTIO II.

QUÆSTIO III.

QUÆSTIO IV.

QUÆSTIO V.

QUÆSTIO III.

QUÆSTIO IV.

QUÆSTIO V.

QUÆSTIO ULT.

FINIS.



INTRODUCTIO IN UNIVERSAM PHILOSOPHIAM.



RIUSQUAM vastissimum celeberrimæ Philosophiæ Oceanum ingrediamur, tria præcipuè consideranda occurrunt, scilicet ipsius scientiæ nomen, natura & divisio.

Quantùm ad nomen. Variis quidem nominibus insignita fuit Philosophia. A Platonicis dicta fuit *vita animi & mors corporis*: est quidem *vita animi*, quia à pravis cupiditatibus animum liberat: est autem *mors corporis*; quia docet hominem, ut sibi vivat, non corpori. Ab aliis vocata fuit *animi medicina*, quia animum à morbis liberat, scilicet ab ignorantia & à vitiis: alii denique plurima & diversa Philosophiæ nomina assignaverunt, sed nunc communi & recepta voce nominatur Philosophia, seu studium sapientiæ; quod nomen


fuit illi impositum à Pytagora qui interrogatus à Leontio Rege, an sapiens esset, respondit se non sapientem esse, sed Philosophum.

Quantùm ad naturam. Philosophia definitur cognitio certa & evidens rerum naturalium per proprias causas. Definitur 1. cognitio, id est actio, vel habitus mentis aliquam veritatem sibi repræsentantis. Definitur 2. certa, id est constans & vera ut distinguatur ab opinione & fide humanâ quæ sunt incertæ. Dicitur 3. evidens, id est clara & perspicua ut distinguatur à fide divinâ quæ certissima est, sed obscura cùm sit argumentum rerum non apparentium. Dicitur 4. rerum naturalium, ut distinguatur à Theologiâ revelatâ quæ rerum supernaturalium, puta Mysteriorum Sanctissimæ Trinitatis, ac Dominicæ Incarnationis contemplationi vacat. Dicitur 5. per proprias causas, id est discursiva, ut distinguatur à cognitione Dei, & Angelorum qui non discurrunt, cognitionem enim effectûs non deducunt ex cognitione causæ, instar hominum, sed causam & effectum uno & simplici prævident intuitu.

Quantùm ad divisionem. Vulgò dividitur in quatuor partes Logicam, Physicam, Metaphysicam, & Moralem, & hæ quatuor partes sunt maximè necessariæ ad perficiendam totam hominis animam, hoc est ad perficiendas duas animæ potentias intellectum & voluntatem: Tres priores partes scilicet Logica, Physica & Metaphysica perficiunt intellectum: Logica, quia tradit regulas ben[illegible] discurrendi; Physica, quia docet abstr[illegible]ra

naturæ ſecreta ; Metaphyſica verò , quia rerum altiſſimarum cognitionem tradit. Ultima Philoſophiæ pars nempe Moralis dirigit voluntatem , quatenus docet neceſſaria ad mores hominum inſtruendos. Ante omnes Logicam explicandam aggredimur , cum ſit quaſi omnium aliarum ſcientiarum janua.





PRIMA PARS PHILOSOPHIÆ, SIVE LOGICA.



OGICA quæ modò vocatur *Dialectica* à verbo græco *διαλέγομαι*, id est disputo, quia tradit modum disputandi,& quæ vocatur etiam *organum* sive instrumentum quo intellectus utitur ad cognoscendam omnem veritatem. Logica, inquam dividitur in naturalem & artificialem : Naturalis est ipsum lumen naturale rationis quo quilibet homo potest saltem imperfectè definire, dividere & discurrere : Artificialis verò est habitus labore comparatus continens quasdam regulas ad omnem veritatem in-

vestigandam; & hæc distribuitur in majorem & minorem; & utraque dividitur in tres partes juxta tres mentis operationes, ut quælibet Logicæ pars quamlibet mentis operationem possit dirigere.

Prima mentis operatio est simplex apprehensio sive actus quo simpliciter res apprehendimus nihil affirmando vel negando v. g. quando simpliciter apprehendimus hominem, vel Leonem.

Secunda mentis operatio est judicium sive actus intellectus quo aliquid affirmamus vel negamus de aliqua re. v. g. homo est rationalis.

Tertia mentis operatio est discursus, sive actus intellectus quo unum ex alio præcognito colligimus v. g. sol lucet; ergo dies est.

Prima mentis operatio dirigitnr cognitione terminorum. Secunda dirigitur cognitione propositionis. Tertia denique dirigitur cognitione argumentationis. Priusquàm àgamus de illis tribus, quædam præmittenda sunt præludia de modis sciendi in communi & in particulari.





PRÆLUDIUM PRIMUM.

De definitione & divisione modi sciendi.

NOTANDUM est quòd modus sciendi in genere tripliciter usurpatur. 1. Latissimè pro omnibus quæ juvant ad scientiam comparandam : sic Logica ipsa est modus sciendi. 2. Strictissimo modo pro eo solo quod proximè & immediatè concurrit ad veram & propriè dictam scientiam acquirendam : quo sensu sola demonstratio potest appellari modus sciendi. 3. Sumitur medio modo pro eo quod deservit immediatè ad rectè & sine errore rem cognoscendam, etsi illa cognitio non sit propriè scientifica. De modo sciendi sic usurpato hîc agitur.

Dicendum est primò modum sciendi esse orationem ignoti manifestativam : hæc definitio optima est cum constet genere & differentiâ : siquidem per *ly*, oratio convenit cum aliis orationibus, & per alia vocabula in definitione contenta, differt ab illis.

Dicendum est Secundo tres tantùm esse modos sciendi, definitionem divisionem & argumentationem.

Probatur. Tot debent esse modi sciendi, quot ignoramus de qualibet re: atqui tria tantùm ignoramus de qualibet re; ergo tres tantum debent esse modi scie..di. Major per se

est evidens; cum enim modus sciendi sit oratio ignoti manifestativa, debent esse tres modi, si tria ignoremus. Probatur vero minor. Primò. Possumus ignorare essentiam alicujus rei quæ nobis manifestatur per definitionem v. g. homo est animal rationale. Secundò possumus ignorare partes alicujus rei quæ nobis manifestantur per divisionem v. g. homo constat corpore & animâ. Tertiò possumus ignorare proprietates alicujus rei quæ nobis manifestantur per argumentationem v. g. ignoranti hominis proprietates manifestantur per ipsam argumentationem: omne rationale est risibile; omnis homo est rationalis: ergo omnis homo est risibilis.

Objicies primò. Definitio & divisio non sunt semper modi sciendi; ergo non sunt tres modi sciendi. Probatur ant. Si definitio & divisio semper essent modi sciendi, semper manifestarent ignotum: atqui definitio & divisio non semper manifestant ignotum; ergo non sunt semper modi sciendi. Probatur Minor. Si quis cognoscat essentiam hominis, ista definitio, homo est animal rationale, non illi manifestabit ignotum: si quis etiam cognoscat partes hominis, ista divisio, homo constat corpore & animâ, non illi manifestabit ignotum: ergo definitio & divisio non semper manifestant ignotum.

Resp. Negando Ant. ad cujus probationem distinguo majorem. Si definitio & divisio essent semper modi sciendi semper manifestarent ignotum, actu vel aptitudine concedo, actu semper, nego. Similiter distinguenda est minor: atqui definitio & divisio

non ſemper manifeſtant ignotum actu concedo aptitudine nego, quia in illo caſu quando ſcilicet aliquis cognoſcit eſſentiam vel partes, tunc definitio & diviſio non manifeſtant actu ignotum, manifeſtant tamen aptitudine, hoc eſt habent virtutem & aptitudinem manifeſtandi eſſentiam & partes, poſito quod eſſentia ſit jam cognita, & quod partes ſint etiam cognitę. Hoc autem ſufficit ut definitio & diviſio ſint veri modi ſciendi, quia verba in definitionibus poſita non dicunt actum, ſed aptitudinem.

Objicies ſecundò & ultimò. Propoſitio eſt modus ſciendi; ergo ſunt quatuor modi ſciendi. Prob. Antec. quod eſt oratio ignoti manifeſtativa eſt modus ſciendi: ſed propoſitio eſt oratio ignoti manifeſtativa, cuidam enim ignoranti eſſentiam hominis explicaret & manifeſtaret iſta propoſitio, homo eſt animal rationale; ergo propoſitio eſt modus ſciendi.

Reſpondeo Negando Ant. ad cujus probationem diſtinguo minorem. Propoſitio explicat eſſentiam hominis, per accidens concedo, per ſe nego, quia eſſentia propoſitionis eſt enuntiare tantùm unum de alio, non vero ignotum manifeſtare; ſi vero aliquando manifeſtet ignotum, illud non facit propria virtute, ſed ratione definitionis, vel argumentationis quæ continentur aliquando in propoſitione.



PRÆLUDIUM SECUNDUM.

De Definitione.

DICENDUM est primò definitionem esse orationem explicantem naturam rei; quæ definitio optima est, cum constet genere & differentia. Siquidem ly oratio ponitur loco generis, quia per illud vocabulum definitio convenit cum aliis modis sciendi qui sunt orationes; alia autem vocabula habent rationem differentiæ, quia per illa definitio differt ab aliis modis sciendi.

Dicendum est secundò definitionem dividi in essentialem & descriptivam: definitio essentialis est illa quæ explicat rem per aliquid quod est de essentia: descriptiva verò explicat rem per aliquid quod est extra essentiam ut cum dicitur, homo est animal pulchrum, implume, bipes &c.

Dicendum est tertiò definitionem essentialem dividi in definitionem essentialem Physicam, & Metaphysicam. Definitio essentialis Physica est illa quæ traditur per partes essentiales Physicas, ut quando dicitur homo est aliquod compositum ex corpore & anima rationali. Definitio vero essentialis Metaphysica est illa quæ traditur per partes essentiales Metaphysicas, ut quando dicitur homo est animal rationale.

Dicendum est ultimò, quatuor præcipuas

assignari bonæ difinitionis conditiones. Prima conditio est, ut constet genere & differentia; quia definitio, ut explicet totam rei naturam, debet explicare illud per quod res quælibet convenit cum multis & differt ab illis. Secunda conditio est, ut tota definitio sit clarior defini[illegible]: ideo ista hominis definitio; homo est mundus abbreviatus, non est bona, quia obscurius est quid sit mundus, quàm quid sit homo. Tertia conditio est, ut non sit diminuta nec redundans, non debet enim aliquid tollere, nec addere: Ideo ista definitio non est bona; homo est animal; deest enim differentia distinguens hominem ab aliis animalibus: similiter non est bona ista definitio; homo est animal rationale album, quia superfluit illud vocabulum album. Quarta & ultima conditio est, ut valeat consequentia à definitione ad definitum; ut, est animal rationale; ergo est homo.



PRÆLUDIUM TERTIUM

De divisione.

Dicendum est primò divisionem definiri orationem explicantem partes alicujus rei; definitio hæc est optima cum constet genere & differentia: vel divisio definitur, oratio distribuens totum in suas partes.

Dicendum est secundò, triplicem esse divisionem scilicet actualem, potentialem & accidentalem. Divisio actualis est illa quæ di-

vidit totum in partes actuales, sive quas actu habet, qualis est ista ; alia pars hominis est anima ; alia pars hominis est corpus. Divisio potẽtialis est illa quâ totũ distribuitur in partes quas sub se cõtinet, ut animal aliud est homo, aliud est brutum. Divisio accidentalis est illa quâ totum accidentale dividitur in suas partes.

Dicendum est tertiò, divisionem actualem esse triplicem, nempè Physicam, Metaphysicam & integralem. Divisio actualis Physica est illa quâ totum dividitur in partes physicas, ut hominis alia pars est anima, alia est corpus. Divisio actualis Metaphysica est illa quâ totum actuale dividitur in partes Metaphysicas ; ut hominis alia pars est animal, alia pars est rationale. Divisio actualis integralis est illa quâ totum dividitur in partes integrales; ut alia pars hominis est caput, alia pars hominis est manus.

Dicendum est quartò, divisionem potentialem esse duplicem, nempè univocam & analogam. Divisio univoca est illa qua totum potentiale distribuitur in inferiora quibus eodem modo convenit; ut quando animal dividitur in terrestre & aquatile, &c. Divisio potentialis analoga est illa quâ totum distribuitur in inferiora quibus non eodem modo convenit; ut quando caput dividitur in caput hominis, in caput libri & in caput montis.

Dicendum est quintò divisionem accidentalem fieri multipliciter. Primò quando subjectum dividitur in accidentia, ut corpus aliud est lucidum sive lucem emittens ; sicuti est sol. Aliud est lucem transmittens sive dia-

phanum; ficuti eft aër. Aliud eft lucem remittens five opacum, ficuti eft terra. Secundò quando accidens dividitur in fubjecta, ut album aliud eft nix, aliud eft papyrus. Tertiò quando accidens dividitur in accidentia; ut album aliud eft amarum, aliud eft dulce.

Dicendum eft ultimò tres, præcipuas eſſe conditiones bonæ divifionis.

Prima eft, ut membra dividentia habeant inter fe aliquam oppofitionem; ita ut unum non includatur in alio: unde illa divifio non eft bona qua terra dividitur in Afiam, Europam, Africam, Americam, & Galliam quia Gallia includitur in Europa.

Secunda bonæ divifionis conditio eft, ut omnia membra dividentia feorfim fumpta fint minora fuo divifo; nam omne totum eft majus fua parte; unde non eft bona illa divifio qua animal dividitur in rationale & fenfitivum quia fenfitivum quod eft membrum dividens æquè late patet ac animal; fiquidem omne animal eft fenfitivum.

Tertia bonæ divifionis conditio eft ut membra dividentia fimul fumpta adæquent totum unde ifta divifio non eft bona; qua terra dividitur in Afiam, Europam, & Africam quia datur alia pars, nempè America.

Objicies contra fecundam regulam. Ifta divifio eft bona, alia pars hominis eft animal, alia eft rationale & tamen unum membrorum dividens eft fuperius divifo quia animal latius patet quam homo; ergo falfa eft fecunda regula.

Refpondeo diftinguendo iftam antecedentis partem: animal ut eft totum potentiale eft fuperius divifo concedo, ut eft pars actualis

nego

nego quia animal poteſt conſiderari ſub duplici formalitate, vel ut eſt totũ potentiale, vel ut eſt pars actualis. Si primo modo conſideretur, eſt quidem aliquid ſuperius homine cum prædicetur de illo. Si ſecundo modo conſideretur, eſt aliquid inferius homine & in iſta diviſione jam allata animal habet rationem partis actualis, non vero totius potentialis.

De argumentatione quæ eſt tertius modus ſciendi fusè agetur in tertia Logicæ minoris parte.



PRIMA PARS LOGICÆ MINORIS.

De his quæ dirigunt primam mentis operationem.



CUM notitia vocum ſimplicium debeat primam mentis operationem dirigere ideo in prima Logicæ minoris parte agendum de vocibus, ſed quia voces & nomina ſunt termini ratione ſignificationis

ideo dicendum quid ſit ſignificare rem ſeu eſſe ſignum alicujus rei.



ARTICULUS I.

Quid ſit ſignum & quſtuplex.

DIcendum eſt primò, *ſignum eſſe illud quod præter ſpeciem quam ingerit ſenſibus aliquid aliud facit in cognitionem venire*, ita Sanctus Auguſtinus. Libro ſecundo de Doctrina Chriſtiana, vel ut alij brevius dicunt ſignum eſt quod præter præviam ſui cognitionem ducit nos in cognitionem alterius.

Probatur & explicatur utraque definitio *quod præter ſpeciem quam ingerit ſenſibus*, vel *præter præviam ſui cognitionem*, illa omnia vocabula ponuntur tanquam loco generis quia ratione illarum particularum ſignum convenit tanquam per genus cum objectis quæ immediatè potentiæ ſe repræſentanr, altem quantum eſt ex ſeipſis: cæteræ verò particulæ habent rationem differētiæ. Ex his conſtat quod ad rationem ſigni requiritur non tantum ut aliquid ſe immediatè repræſentet ſed inſuper, ut repræſentet aliquid aliud naturæ diſtinctæ. Si enim fumus. V. g. nihil aliud repræſentaret quam ſeipſum, non diceretur ſignum ſed objectum unde ait Sanctus Thomas quæſtione 9. de veritate Articulo quarto ad quartum, *Ad hoc ut aliquid ſit ſignum requiritur quod per diſcurſum ducat nos; quan-*

tum est de se, in cognitionem alterius rei distinctæ.

Dicendum est secundo signum dividi in formale & instrumentale. Formale est illud quod absque prævia sui cognitione ducit nos in cognitionem alterius & hujusmodi sunt species impressæ v. g. quas non est necesse prius cognoscere, ut repræsentata per eas cognoscamus, sed statim repræsentata per eas cognoscimus: unde tale signum dicitur medium incognitum, quia non debet prius cognosci quam cognoscatur res repræsentata & illud signum non videtur habere rationem propriam signi. Signum verò instrumentale est illud quod ex prævia sui cognitione ducit nos in cognitionem alterius, & dicitur medium cognitum; qnia prius debet cognosci quam cognoscatur res ab illo repræsantata; ita fumus dicitur signum instrumentale, quia prius cognoscitur; quam ignis.

Dicedum est tertio & ultimo signum instrumentale dividi in naturale & ad placitum. Signum naturale est illud quod ex natura sua aliquid significat, ut oculi languidi significant animum dejectum. Signum ad placitum est illud quod aliquid significat ex humano usu & hominum instituto; ut ramus viridis appensus significat vinum venale.



ARTICULUS II.

Quid & quotuplex sit terminus.

Dicendum est terminum definiri extremum propositionis. Quæ definitio est legitima cum constet genere & differentia, nam ly extremum tenet locum generis quia per illud vocabulum, terminus convenit cum aliis rerum terminis & quod sit extremum propositionis tenet locum differentiæ, quia per illud vocabulum differt ab aliis rerum terminis.

Dicendum est secundo terminum multipliciter dividi.

Primò terminus dividitur in terminum mentalem vocalem & scriptum. Mentalis est extremum propositionis mentalis. Vocalis est extremum propositionis vocalis scriptus est extremum propositionis scriptæ.

Secundo terminus dividitur in terminum categorematicum syncategorematicum & mixtum. Categorematicus est ille qui per se aliquid significat ut homo, animal. Syncategorematicus est ille qui per se non potest aliquid significare sed tantum quando conjungitur cum alio ut omnis, nullus. Mixtus est ille, qui virtualiter includit categorematicum & syncategorematicum ut nemo, quod idem est ac nullus homo.

Tertio terminus dividitur in incomplexum

& complexum. Incomplexus eſt ille, cujus partes ſeparatæ nihil ſignificant juxta ſignificationem totius, ut Dominus; complexus verò eſt ille, cujus partes ſeparatæ ſignificant aliquid juxta ſignificationem totius, ut homo albus.

Quarto & ultimo terminus dividitur in terminum concretum & abſtractum. Concretus eſt ille, qui ſimul importat ſubjectum & formam, ut album: ille enim terminus importat ſubjectum habens albedinem & ipſam albedinem. Abſtractus eſt ille qui importat formam ſeparatam à ſubjecto, ut albedo. Plurima ſunt alia terminorum genera, quæ edocebit uſus & exercicitium.



ARTICULUS III.

De terminorum proprietatibus.

DIcendum eſt primo quatuor eſſe terminorum proprietates nempè ſuppoſitionem appellationem ampliationem & reſtrictionem.

Dicendum eſt ſecundo: ſuppoſitionem eſſe poſitionem & uſurpationem alicujus termini pro aliquo ſubjecto de quo aliquid verificatur quia ut ait Ariſtoteles, *Res nobiſcum inter diſputandum ferre non poſſumus, utimur nominibus pro rebus*, talis autem uſus vocatur ſuppoſitio. Ultimæ definitionis particulę nempè de quo aliquid verificatur, docent quod ad

propositione. Petrus Logicus est magnus, ubi magnitudo appellat supra Petrum non ratione Logicæ sed ratione corporis. Appellatio formalis fit quando significatum unius termini applicatur supra significatum formale alterius termini v. g. Petrus est magnus Logicus. Ubi magnitudo applicatur non ratione corporis, sed ratione Logicæ quæ est quasi forma Petri. Ut autem cognoscatur quando nam appellatio est materialis, vel formalis tres assignantur regulæ.

Prima est quando subjectum est terminus substantivus cum adjectivo; si adjectivus sit ante copulam, appellatio erit materialis ut patet in ista propositione Petrus Logicus est magnus. Si verò adjectivus sit post copulam appellatio erit formalis v. g. Alexander fuit magnus Discipulus Aristotelis. Disciuplus appellat supra Alexandrum quatenus magnum ita ut illius propositionis sensus sit. Alexander fuit magnus inter Discipulos Aristotelis.

Secunda regula est quando subjectum est terminus substantivus & prædicatum est terminus adjectivus, significatum formale adjectivi applicatur supra significatum materiale termini substantivi; unde sequitur quod ista propositio, *Christus est creatus*, est falsa, & ista vera, *Christus est æternus*, Prima est falsa quia ly creatus appellat supra materiale subjecti nempe suppositum Christi cui repugnat creari: illa tamen propositio est vera cum addito hoc est si addatur. Christus est creatus ratione naturæ humanæ. Secunda vero propositio est vera quia ly æternus applicatur supra materiale subjecti nempè supra suppositum quod fuit ab æterno.

Tertia regula est quando numeralia primativa ut sunt duo, tres, quatuor, conjuncta sunt cum substantivo, appellant tam supra materiale, quam supra formale, & ideo multiplicant, & subjecta, & subjectorum formas. Unde ista propositio est falsa. Sunt tres dij, quia illud nomen primitivum conjunctum est cum substantivo & appellat supra materiale, & formale,& multiplicat supposita,& formas ita illa propositio significat esse tria supposita habentia tres deitates. quando verò illa nomina conjuncta sunt cum adjectivo appellant tantum supra materiale, & multiplicant subjecta, & non subjectorum formas; unde propositio illa est vera, Sunt tres divini, quia illa propositio significat esse tria supposita habentia unam deitatem:ideo autem Sanctus Athanasius dicit in Symbolo,*Non esse tres omnipotentes*, quia sumebat illud nomen quasi substantivè, si verò nomen illud sumatur adjectivè possumus dicere tres esse omnipotentes hoc est tres personas habentes eandem omnipotentiam.

Dicendum est sexto ampliationem esse extensionem alicujus termini à minori ad majorem suppositionem quæ fit quando terminus non solum sumitur pro tempore importato per copulam sed etiam pro alio, vt cum dicitur.Justi resurgent in gloria.Ille terminus justi non solum supponit pro justis qui nunc sunt sed qui fuerunt & qui futuri sunt.

Dicendum est ultimo restrictionem esse coarctationem termini à majori ad minorem suppositionem, quæ fit quando terminus qui poterat sumi pro pluribus subjectis su-

mitur tantum pro quibusdam determinatis ut cum dicitur homo qui est Philosophus est pius ly homo supponit pro subjectis Philosophiæ quibus convenit pietas.



SECUNDA PARS LOGICÆ minoris.

AGendum ibi de propositione quæ dirigit secundam mentis operationem sed eum propositio sit oratio constans nominibus & verbo tanquam copula, explicandum ideo est, quid sit nomen, Verbum & oratio.



ARTICULUS I.

De nomine verbo & oratione.

DIcendum est 1. Quod nomen definitur ab Arist. *Vox significativa ad placitum sine tempore cujus nulla pars separata significat, finita & recta.*

Prob. Et explicatur definitio. Nomen dicitur, *Vox significativa*, ut excludantur voces quæ non significant. Dicitur, *vox significativa ad placitum*, ut excludantur signa naturalia dicitur, *vox significativa ad placitum sine tempore*, ut distinguatur à verbo. Dicitur, *vox*



significativa sine tempore, cujus nulla pars separata significat, ut distinguatur ab oratione dicitur, *vox finita*, ut excludatur nomen infitum. Denique dicitur, *vox recta*, ut excludantur casus obliqui qui per se non sunt nomina sed tantnm ratione sui principalis seu nominativi.

Dicendum est secundo Verbum esse vocem significativam cum tempore cujus nulla pars separata significat, ut amo, amavi. Significat amorem in diversis temporibus existentem. Oratio autem est vox significativa ad placitum cujus partes separatæ significant, ut Petrus est doctus.



ARTICULUS II.

Quid & quotuplex sit propositio.

Dicendum est primo propositionem definiri orationem in qua aliquid enuntiatur de alio affirmando, vel negando; & illa propositionis definitio est essentialis: quando vero propositio definitur oratio verum, vel falsum significans, illa definitio est tantum descriptiva, quia veritas & falsitas sunt tantum accidentia & proprietates propositiones.

Dicendum est secundo propositionem multipliciter dividi.

Primò dividitur in propositionem simplicem, seu categoricam & in propositionem

compoſitam, ſeu hypoteticam. Propoſitio ſimplex eſt illa, quæ conſtat prædicato, & ſubjecto tanquam partibus principalibus, & copulâ tanquam unione, ut homo eſt animal, nec deſtruitur eſſentia propoſitionis ſimplicis, licet prædicatum vel ſubjectum cum altero termino ſit conjunctum, ut in iſta propoſitione, paries albus eſt diſgregativus viſus, quia quidquid ponitur, vel ex parte prædicati, vel ex parte ſubjecti ſe habet per modum unius, etiam ſi adderetur propoſitio integra v. g. homo, qui eſt Philoſophus, eſt pius. Propoſitio autem compoſita eſt illa, quæ conſtat propoſitionibus ſimplicibus tanquam partibus principalibus aliquâ unione unitis, ut Pytagoras docuit animas migrare de corpore ad corpus, & non eſſe licitum veſci carnibus.

Secundò propoſitio dividitur in quinque partes.

Prima eſt conditionalis cujus partes uniuntur particula ſi v. g. ſi Petrus eſt rationalis Petrus eſt riſibilis. Secunda dicitur copulativa, & eſt illa cujus partes uniuntur particulis copulativis cujuſmodi ſunt, ut atque, nec v. g. nec arbor eſt homo, nec homo eſt lapis. Tertia dicitur diſiunctiva, & eſt illa cujus partes uniuntur particulis diſiunctivis, quales ſunt vel, aut, ſive v. g. vel Petrus orat, vel ſtudet, quarta dicitur cauſalis, & eſt illa cujus partes uniuntur per particulas cauſales cujuſmodi ſunt, quòd, quia. V.g. Angeli ſunt beati, quia vident Deum. Quinta dicitur rationalis, & eſt illa cujus partes uniuntur particulis rationalibus quales ſunt : ergo igi-

tur v. g. homo eſt rationalis : ergo eſt riſibilis.

Tertiò propoſitio dividitur ratione materiæ in neceſſariam, contingentem, poſſibilem, & impoſſibilem. Propoſitio neceſſaria eſt illa, quæ enuntiat rem, quæ aliter ſe habere non poteſt, ut Deus eſt æternus, homo eſt rationalis, quia æternitas ita convenit Deo, ut non poſſit non convenire. Propoſitio contingens eſt illa cujus prædicatum ita convenit ſubjecto, ut poſſit non convenire v. g. Petrus eſt doctus, quia ſcientia poteſt non convenire Petro. Propoſitio poſſibilis eſt illa in qua licet prædicatum non conveniat ſubjecto poteſt tamen convenire v. g. deſignando parietem nondum album, poſſum dicere. Paries eſt albus. Propoſitio impoſſibilis eſt illa, quæ enuntiat rem, quæ ſic ſe habere non poteſt, quia prædicatum repugnat ſubjecto v. g. Angelus eſt corpus.

Quartò propoſitio dividitur ratione formæ in affirmativam & negativam. Propoſitio affirmativa eſt illa in qua prædicatum affirmatur de ſubjecto. Negativa verò in qua prædicatum negatur de ſubjecto. Notandum tamen, quod ut propoſitio ſit negativa. Negatio debet cadere ſupra verbum : unde iſta propoſitio non eſt negativa. Ego ſum non determinatus.

Quintò propoſitio dividitur ratione quantitatis in univerſalem particularem ſingularem & indefinitam. Propoſitio univerſalis eſt illa cujus ſubjectum eſt terminus communis, & ſigno univerſali afficitur v. g. omnis homo eſt rationalis, Propoſitio particularis eſt illa cujus

cujus ſubjectum eſt terminus communis & ſigno aliquo particulari afficitur v. g. aliquis homo eſt doctus. Propoſitio ſingularis eſt illa cujus ſubjectum eſt terminus ſingularis,ut Petrus eſt doctus. Propoſitio denique indefinita eſt illa cujus ſubjectum eſt terminus communis & nullo ſigno afficitur v. g. homo eſt riſibilis.

Sextò propoſitio dividitur ratione qualitatis in veram & falſam:præter illas diviſiónes. Propoſitio etiam dividitur in abſolutam & Modalem. Propoſitio abſoluta eſt oratio enuntians aliquid ineſſe, vel non ineſſe alteri abſolutè,ut Petrus eſt Philoſophus. Propoſitio modalis eſt illa,quæ exprimit modum,quo unum ineſt,vel non ineſt alteri,qui modus non afficit neque determinat ſubjectum, nec prædicatum , ſed unionem utriuſque v. g. homo eſt contingenter albus.Duplex autem eſt propoſitio modalis,nempè compoſita & diviſa. Propoſitio modalis compoſitaeſt illa, quæ facit ſenſum compoſitum,ſive quæ unit extrema ſecundum ſignificata formalia pro eodem tempore , ut in iſta propoſitione, album eſſe nigrum eſt impoſſibile ; cognoſcitur autem propoſitio modalis compoſita ex eo quod modus exprimitur nominaliter, ut patet in propoſitione jam allata.propoſitio modalis diviſa eſt illa , quæ facit ſenſum diviſum , ſive quæ unit ſignificatum prædicati cum ſignificato ſubjecti pro diverſo tempòre , ut in iſta propoſitione,album eſt poſſibiliter nigrum: cognoſcitur autem propoſitio modalis diviſa ex eo quod modus exprimitur adverbialiter , ut patet in propoſitione jam allata.



ARTICULUS III.

De Proprietatibus Propositionis.

Dicendum est primò tres esse proprietates propositionis nempè oppositionem conversionem & æquipollentiam.

Oppositio definitur affirmatio & negatio ejusdem de eodem, vel repugnantia inter duas propositiones eodem prædicato, & subjecto constantes. Ex quibus verbis constat propositiones debere constare eodem prædicato & subjecto secundum voces, secundum sensum, secundum tempus, & secundum locum; defectu quorum tollitur essentia oppositionis inter propositiones. Defectu primæ conditionis, istæ propositiones non sunt oppositæ Angelus est Dei, Angelus non est Deus. Defectu secundæ conditionis, istæ propositiones non sunt oppositæ, homo est rationalis, homo non est rationalis, si in prima propositione sensus est de homine vero, & in secunda de homine picto. Defectu tertiæ conditionis istæ propositiones non sunt oppositæ, Petrus orat, Petrus non orat, si intelligatur diversum tempus: Defectu denique quartæ conditionis istæ propositiones non sunt oppositæ Petrus est in classe, Petrus non est in classe si intelligantur diversæ classes.

Dicendum est secundò. Quadruplicem esse oppositionem nempè contradictoriam, contra-

riam,ſubcontrariã,& ſubalternam. Contradictoria eſt repugnantia inter duas propoſitiones quarum una eſt univerſalis affirmativa altera particularis negativa,vel quarum utraque eſt ſingularis, ſed una eſt affirmativa & altera negativa; exemplum primæ eſt.Omnis homo eſt doctus,aliquis homo non eſt doctus. Exemplum ſecundæ eſt. Petrus ſtudet, Petrus non ſtudet.

Oppoſitio contraria eſt repugnantia inter propoſitiones quarum una eſt univerſalis affirmativa,altera univerſalis negativa,ut omnis homo eſt albus , nullus homo eſt albus.

Oppoſitio ſubcontraria eſt repugnantia inter propoſitiones , quarum una eſt particularis affirmativa. Altera particularis negativa , ut aliquis homo eſt juſtus aliquis homo non eſt juſtus.

Oppoſitio ſubalterna eſt repugnantia inter propoſitiones affirmativas vel negativas, quarum una eſt univerſalis & altera particularis , ut omnis homo ſtudet. Aliquis homo ſtudet ; ſed iſta oppoſitio non eſt propriè oppoſitio,quia illæ propoſitiones non repugnant in affirmatione vel negatione. Illud omne patebit in præſenti Figura.



Aliquæ leges pro qualibet oppoſitione ſtatuendæ ſunt.

Lex pro contradictoriis eſt quod duæ propoſitiones contradictoriæ non poſſunt eſſe ſimul veræ nec ſimul falſæ, quia ſicut impoſſibile eſt idem eſſe, & non eſſe, ita impoſſibile eſt, quòd idem affirmetur & negetur de eodem.

Lex pro conrrariis eſt quod in nulla materia propoſitiones contrariæ poſſunt eſſe ſimul veræ,tamen poſſunt eſſe ſimul falſæ in materia contingenti v. g. omnis homo eſt juſtus, nullus homo eſt juſtus. Propoſitiones autem contrariæ non poſſunt eſſe ſimul veræ quia ſequeretur quod duæ propoſitiones contradictoriæ poſſent eſſe ſimul veræ ; ſed illud non

poteſt dici: ergo nec aliud. Prob. ſequela Majoris ſi duæ iſtæ propoſitiones contrariæ eſſent ſimul veræ; omnis homo eſt juſtus, nullus homo eſt juſtus; illarum duæ ſubalternæ eſſent veræ, nempè aliquis homo eſt juſtus aliquis homo non eſt juſtus: ſed prima ſubalterna nempè aliquis homo eſt juſtus eſt contradictoria illius propoſitionis, nullus homò eſt juſtus & ſecunda ſubalterna; nempè aliquis homo non eſt juſtus, eſt contradictoria illius propoſitionis; nempè omnis homo eſt juſtus: ergo ſi omnes eſſent veræ darentur contradictoriæ ſimul veræ, quod eſt impoſſibile: ex quo patet duas propoſitiones contrarias non poſſe eſſe ſimul veras.

Lex pro ſubcontrariis eſt, quod poſſunt eſſe ſimul veræ, ut patet iſto exemplo, aliquis homo eſt juſtus, aliquis homo non eſt juſtus, ſed non poſſunt eſſe ſimul falſæ, quia ſequeretur etiam illarum contradictorias eſſe ſimul falſas, quæ contradictoriæ ſunt, omnis homo eſt juſtus, nullus homo eſt juſtus; nam ſi falſum ſit aliquem hominem eſſe juſtum, falſum quoque eſt omnem hominem eſſe juſtum: ergo duæ propoſitiones ſubcontrariæ non poſſunt eſſe ſimul falſæ.

Lex pro ſubalternis eſt, quòd utraque poſſit eſſe vera vel falſa, ut patet iſtis exemplis omnis homo eſt juſtus, aliquis homo eſt juſtus: omnis homo eſt rationalis, aliquis homo eſt rationalis.

Dicendum eſt Tertiò æquipollentiam eſſe eandem vim & eundem ſenſum duarum propoſitionum ex æquivalentia ſignorum provenientem, ut propoſitiones contradictoriæ red-

dantur æquipollentes, Negatio debet collocari ante subjectum primæ propositionis, ut non omnis homo est justus, aliquis homo non est justus. Ut propositiones contrariæ fiant æquipollentes negatio debet postponi subjecto illius propositionis quam facimus æquipollentem v. g. omnis homo non orat, nullus homo orat. Ut subalternæ fiant æquipollentes debent apponi duæ negationes, una ante subjectum, altera post subjectum, ut non omnis homo non est animal idem est ac aliquis homo est animal. Illæ prædictæ regulæ in isto continentur versiculo

Præ contradic. post contra, præ postque subalter.

Dicendum est ultimo conversionem esse inversionem propositionis; ita ut retenta veritate ex prædicato fiat subjectum, & ex subjecto fiat prædicatum v. g. nullus homo est lapis: ergo nullus lapis est homo.





TERTIA PARS
LOGICÆ MINORIS.

De iis quæ dirigunt tertiam mentis operationem.

IN ista tertia & ultima Logicæ minoris parte agetur de argumentatione, quâ tertia mentis operatio dirigitur. Argumentatio autem est oratio in qua uno dato aliud sequitur ; sed quia inter argumentationes præcipuum in Philosophia locum obtinet sillogismus, de illo fusè hîc agetur.



ARTICULUS PRIMUS.

De Sillogismo.

DIcendum est sillogismum definiri ab Aristotele *orationem in quâ quibusdam positis necessarium est aliud evenire, eo quod hæc posita sint* : quæ definitio ut melius

explicetur, advertendum est sillogismum constare materiâ & formâ; quia cùm sillogismus sit aliquod compositum rationis debet constare materiâ & formâ.

Materia sillogismi est duplex, remota scilicet & proxima. Materia remota sunt ipsi termini, qui immediatè componunt propositionem & mediatè sillogismum. Materia proxima sunt propositiones ex quibus conficitur sillogismus.

Termini qui sunt materia remota sillogismi, sunt tres: ille qui bis repetitur in præmissis, vocatur medium: qui jungitur cum medio in Majori propositione, vocatur majus extremum; qui verò jungitur cum medio in minori, dicitur minus extremum: v. g. omne bonum est amandum; sed Deus est bonus; ergo Deus est amandus; amandum est majus extremum, quia unitur cum medio nempè bono in majori propositione; Deus est minus extremum, quia unitur cum eodem medio in minori propositione.

Forma sillogismi est dispositio materiæ sillogismi tam proximæ quam remotæ; sive artificium quo termini & propositiones disponuntur. Forma ergo qua termini rectè disponuntur, dicitur figura sillogistica: unde dicimus sillogismum non esse in forma, quando termini non sunt rectè dispositi: forma verò quâ rectè disponuntur propositiones, dicitur modus.



ARTICULUS II.

De figuris & modis sillogismi.

DIcendum est primò. Dari tres sillogismi figuras.

Prob. tot dantur figuræ, quot dantur diversi modi qubus medium potest disponi: atqui dantur tres: nam vel medium subjicitur in Majori & prædicatur in Minori, & illa est prima Figura. v. g. omnis homo est animal: Petrus est homo; ergo Petrus est animal; vel medium prædicatur in utraque & est secunda Figura v. g. omnis homo est rationalis: sed omne risibile est rationale; ergo omne risibile est homo: vel Medium subjicitur in utraque propositione, & hæc est tertia Figura v. g. omnis homo est animal: aliquis homo est risibilis; ergo aliquod risibile est animal hæc omnia hoc versiculo exprimuntur

Sub præ prima, sed altera bis præ,
tertia bis sub.

Quartam Figuram addunt aliqui quam vulgò attribuunt Galeno in qua medium prædicatur in Majori & subjicitur in Minori v. g. omne animal est sensitivum, omne sensitivum est vivens: ergo omne animal est vivens; sed quia illa Figura indirectè concludit, vel omnino rejicitur, vel reducitur ad primam.

Dicendum est secundo in prima Figura novem modis posse variari propositiones, In secunda quatuor modis, & in tertia sex modis, qui omnes modi his quatuor versibus vulgatissimis continentur.

Barbara, Celarent, Darii, Ferio, Baralipton,
Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum,
Cæsare, Camestres, Festino, Baroco, Darapti,
Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

Circa prædicta vocabula notandum est, quod quodlibet vocabulum constat tribus syllabis, quæ denotant tres propositiones; denotat enim quælibet syllaba, propositionem debere esse, vel universalem, vel particularem, vel affirmativam, vel negativam, & illud facit per vocalem ex qua resultat syllaba. In istis enim vocabulis reperiuntur quatuor istæ vocales A E I O. A significat propositionem debere esse universalem affirmativam. E universalem negativam. I particularem affirmativam. O particularem negativam: quæ omnia exprimuntur his duobus versibus.

Asserit A, negat E, sunt universaliter ambæ,.
Asserit I, negat O, sunt particulariter ambæ.

Ut autem hæc fiant adhuc illustriora, Subjicienda sunt exempla usitata uniuscujusque Figuræ & modi.

EXEMPLA MODORVM *directorum primæ Figuræ.*

Bar- ⎫ Omne bonum eſt amandum.
ba- ⎬ Omnis virtus eſt bona.
ra. ⎭ Ergo omnis virtus eſt amanda.

Ce- ⎫ Nullus lapis eſt animal.
la- ⎬ Omnis Chriſolitus eſt lapis.
rent. ⎭ Ergo nullus Chriſolitus eſt animal.

Da- ⎫ Omne animal eſt ſubſtantia.
ri- ⎬ Aliquis equus eſt animal.
i. ⎭ Ergo aliquis equus eſt ſubſtantia.

Fe- ⎫ Nullum animal eſt lapis.
ri- ⎬ Quædam ſubſtantia eſt animal.
o. ⎭ Ergo quædam ſubſtantia non eſt lapis.

EXEMPLA MODORVM *indirectorum primæ Figuræ.*

Ba- ⎫ Omne animal eſt vivens.
ra- ⎬ Omnis homo eſt animal.
lip. ⎭ Ergo aliquod vivens eſt homo.

Ce- ⎫ Nullum brutum eſt rationale.
lan- ⎬ Omnis equus eſt brutum.
tes. ⎭ Ergo nullum rationale eſt equus.

Da- } Omne animal est vivens.
bi- } Quædam substantia est animal.
tis. } Ergo quoddam vivens est substantia.

Fa- } Omne animal est corpus.
pes- } Nulla planta est animal.
mo. } Ergo aliquod corpus non est planta.

Fri- } Quoddam animal est substantia.
sc- } Nullus lapis est animal.
som. } Ergo quædam substantia non est lapis.

EXEMPLA MODORUM *secundæ Figuræ.*

Cæ- } Nullus lapis est animal,
sa- } Omnis homo est animal.
re. } Ergo nullus homo est lapis.

Ca- } Omnis homo est animal.
mes- } Nulla planta est animal.
tres. } Ergo nulla planta est homo.

Fes- } Nullum animal est lapis.
ti- } Quædam substantia est lapis.
no. } Ergo quædam substantia non est animal.

Ba- } Omnis homo est animal.
ro- } Aliqua planta non est animal.
co. } Ergo aliqua planta non est homo.

EXEMPLA

EXEMPLA MODORVM tertiæ Figuræ.

Da- } Omne animal eſt vivens.
rap. } Omne animal eſt ſubſtantia.
ti. } Ergo quædam ſubſtantia eſt vivens.

Fe- } Nulla planta eſt animal.
lap. } Omnis planta eſt ſubſtantia.
ton. } Ergo aliqua ſubſtantia non eſt animal.

Di- } Quoddam animal eſt vivens.
ſa- } Omne animal eſt ſubſtantia.
mis. } Ergo quædam ſubſtantia eſt vivens.

Da- } Omne animal eſt vivens.
ti- } Aliquod animal eſt ſubſtantia.
ſi. } Ergo aliqua ſubſtantia eſt vivens.

Bo- } Aliqua planta non eſt animal.
car- } Omnis planta eſt ſubſtantia.
do. } Ergo aliqua ſubſtantia non eſt animal.

Fe- } Nulla planta eſt animal.
ri- } Aliqua planta eſt ſubſtantia.
ſon. } Ergo aliqua ſubſtantia non eſt animal.



ARTICULUS III.

De regulis sillogismi.

QUatuor sunt regulæ cujuscumque formæ & modi quibus regulantur sillogismi.

Prima regula est, quod in quolibet sillogismo debent esse tantum tres termini, non solum quoad voces, sed etiam quoad sensum, suppositionem, appellationem, ampliationem & restrictionem : ratio est, quia duo extrema non unirentur cum tertio, nec consequenter inter se v. g. omnis Canis latrat ; sed aliquod Sydus est Canis : ergo aliquod Sydus latrat. Non valet consequentia, quia variatur suppositio ; Canis enim in majori propositione supponit pro Cane terrestri ; in minori verò pro Cane cœlesti & ita latrat & Sydus illius sillogismi extrema non uniuntur cum medio in præmissis, nec proinde inter se in conclusione.


Secunda regula est quòd medium debet distribui hoc est sumi, vel in majori, vel in minori universaliter, sive secundum totam amplitudinem ; quia medium non distributum universaliter in aliqua propositione supponeret pro pluribus, & ita quasi divideretur & fieret multiplex & consequenter non esset unum, proinde extrema non unirentur cum eodem medio in præmissis, nec consequen-

ter possent inter se uniri in conclusione, ut patet in isto sillogismo *aliquod animal est rationale ; aliquis equus est animal : ergo aliquis equus est rationalis* siquidem animal, quod est medium non sumitur universaliter, nec in majori, nec in minori : nam in majori propositione animal supponit pro homine, in minori pro equo. Notandum tamen, quòd terminus singularis potest esse medium aptum, quia semper est unus & non dividitur in plures partes, & ita æquivalet termino universaliter distributo, sic optimè concluditur *Divus Petrus fuit peccator ; sed Divus Petrus fuit salvatus : ergo aliquis salvatus fuit peccator.* Advertendum tamen, quòd ille terminus ita debet esse singularis, ut nullomodo possit communicari pluribus : unde non valet iste syllogismus *Pater est Deus : Filius est Deus : Ergo Pater est Filius*, quia Deus communicatur pluribus.

Tertia regula est, quòd extrema in præmissis non distributa non debent distribui in conclusione : Ratio est, quia extrema debent uniri in conclusione eodem modo, quo fuerunt unita cùm medio in præmissis : unde si fuerint unita cum medio secundum significationem particularem, non debent uniri inter se secundum universalem & omnimodam significationem. Quare non valet iste syllogismus *omnis homo est rationalis : omnis homo est animal : ergo omne animal est rationale*, quia animal quòd est unum extremum sumitur in majori propositione, ut est pars actualis hominis : in conclusione verò sumitur secun-

dum totam suam significationem, & ut est totum potentiale.

Quarta & ultima regula est, quòd ex præmissis purè negativis nihil concluditur: quia ut inferatur duo extrema non uniri inter se, oportet ut unum cum medio conjungatur, non verò alterum: unde non valet iste syllogismus *homo est irrationalis: nullus equus est homo: ergo nullus equus est irrationalis*, quia neutrum ex illis extremis unitur cum medio.



ARTICULUS IV.

De probatione syllogismi.

Dicendum est probationem syllogismi esse cum probamus bonitatem consequentiæ per principia, seu axiomata universaliora artis syllogisticæ: quædam autem dantur principia pro syllogismis affirmativis: quædam verò pro negativis: illa quæ inserviunt ad probandos syllogismos affirmativos sunt, *quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se: dici de omni*, hoc est quidquid dicitur de subjecto universaliter sumpto, dicitur de omni contento sub illo. Quædam etiam dantur principia ad probandos syllogismos negativos, nempè *quorum unum est idem cum uno tertio, & aliud non est idem*; *illa non sunt eadem inter se & dici*

de nullo : hoc eſt quidquid negatur de ſubjecto univerſaliter ſumpto, negatur etiam de omni ſubjecto contento ſub illo. Res clarius exemplis patebit, ſi quis enim, negaret conſequentiam ſyllogiſmi affirmativi v. g. omne animal eſt vivens ; ſed Petrus eſt animal : ergo Petrus eſt vivens : ſic probanda eſſet conſequentia, *quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe* : ſed in præmiſſis conceſſum fuit duo extrema nempè vivens & Petrus eſſe eadem uni tertio, nempè animali : ergo illa duo extrema nempè Petrus & vivens ſunt eadem inter ſe, & proinde vera eſt conſequentia illius ſyllogiſmi. Vel poteſt idem probari altero principio ſic procedendo : quidquid prædicatur de ſubjecto univerſaliter ſumpto, prædicatur de omni contento ſub illo juxta illud principium *dici de omni* : ſed in præmiſſis conceſſum fuit, quòd vivens prædicatur de animali univerſaliter ſumpto : ergo prædicatur de Petro, qui eſt animal. Si quis verò negaret conſequentiam ſyllogiſmi negativi v. g. nullum animal eſt lapis, ſed leo eſt animal : ergo leo non eſt lapis, ſic poſſet probari conſequentia ; *illa quorum unum eſt idem cum uno tertio & alterum non eſt idem, non poſſunt eſſe eadem inter ſe* : ſed in præmiſſis conceſſum fuit animal non eſſe idem cum lapide & leonem eſſe idem cum animali : ergo leo & lapis non ſunt idem inter ſe. Vel altero principio poteſt idem probari quidquid negatur de ſubjecto univerſaliter ſumpto negatur de omni contento ſub illo, juxta illud principium *dici de nullo* ; ſed negatur univerſaliter de omni

animali, quod ſit lapis: ergo debet negari de leone, qui continetur ſub animali.



ARTICULUS ULTIMUS.

De inventione medii.

LIcet Ars inveniendi medium facilius comparari poſſit per uſum, & per exercitium; vulgò tamen aſſignantur duæ regulæ.

Prima eſt, ſi probanda ſit propoſitio univerſalis affirmativa, qualis eſt iſta, omnis homo eſt vivens: tunc aſſumendus eſt aliquis terminus, qui conveniat prædicato & ſubjecto propoſitionis, qualis eſt iſte terminus, animal; convenit enim homini, convenit etiam viventi: poſtea duo extrema propoſitionis probandæ conjungenda ſunt cum illo termino communi in præmiſſis, hoc eſt illa duo vocabula homo & vivens conjungenda ſunt cum animali, & indè ſequetur unio duorum extremorum in concluſione juxta illud principium. *Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe*: iis omnibus peractis conficietur iſte ſyllogiſmus, omne animal eſt vivens; atqui omnis homo eſt animal: ergo omnis homo eſt vivens.

Secunda regula eſt, ſi Probanda ſit propoſitio univerſalis negativa, qualis eſt iſta, nullus homo eſt lapis, aſſumendus eſt terminus, qui repugnet prædicato propoſitionis, & qui tamen conveniat ſubjecto ejuſdem

propoſitionis, qualis eſt iſte terminus animal: ſiquidem animal repugnat lapidi & convenit homini, tunc duo extrema propoſitionis probandæ non uniuntur inter ſe, juxta illud principium, *illa duo quorum unum convenit cum tertio, & non alterum, non conveniunt inter ſe*, & ita conficietur iſte ſyllogiſmus: nullum animal eſt lapis; ſed omnis homo eſt animal: ergo nullus homo eſt lapis.

Plurima ſunt quæ in minori Logica fuſiùs traduntur à quibuſdam Logicis, qui brevitatem non quærunt: ego verò brevitatis amantiſſimus, ut citò à Logica minori ad majorem progrediar illa omnia omiſſa facio: vel quia ſunt inutilia, vel quia, ſi quæ utilia ſint, hæc omnia docebit uſus.

Finis Logicæ Minoris.





LOGICA
MAJOR.



UM Logicæ ſit inſtituta ad dirigendas tres mentis operationes, jamque Logica Minor in tres Partes fuerit diſtributa, in tres pariter dividetur Logica Major juxta triplicem mentis operationem. In prima agetur de terminis ſimplicibus, ſive univerſalibus, & de prædicamentis ad perficiendam primam mentis operationem: In ſecunda de propoſitione, quâ judicium dirigitur: In tertia de Argumentatione, quâ perficitur tertia mentis operatio. Sed priùs præmittetur ex uſu.



QUÆSTIO
UNICA PROEMIALIS.
De Natura Logicæ.

UT perfecta habeatur notitia Logicæ agendum de existentia qualitate & objecto Logicæ.



ARTICULUS I.
An detur Logica artificialis.

DIcendum est dari Logicam artificialem.

Prob. Logica artificialis est facultas tradens modum definiendi, dividendi & argumentandi circa quamcumque materiam etiam difficilem; atqui datur talis facultas: ergo datur Logica artificialis prob. minor. Constat experientià quod plurimi optimè definiunt, dividunt, & argumentantur circa

res etiam difficiles: atqui non possunt optimè definire, nisi detur in illis facultas tradens modum definiendi, dividendi, & argumentandi : ergo datur talis facultas. Præterea intellectus non minus indiget aliquâ scientiâ ad perquirendum verum, quam voluntas ad perquirendum bonum : atqui datur aliqua scientia nempè moralis quâ dirigitur voluntas ad perquirendum bonum : ergo debet dari aliqua scientia quâ dirigatur intellectus ad perquirendum verum : illa autem scientia non est alia quam Logica artificialis.

Obj. 1. Si daretur Logica maximè ad perficiendum intellectum : atqui Logica non potest perficere intellectum : ergo non debet dari. Prob. Minor. quod est imperfectius intellectu, non potest perficere intellectum : atqui Logica est imperfectior intellectu : ergo non potest perficere intellectum.

Resp. neg. min. ad cujus proba. disting. min. Logica est imperfectior, secundum aliquam formalitatem conc. secundum omnes nego. Quia intellectus est perfectior Logicâ, & Logica est perfectior intellectu secundum diversa : intellectus est perfectior Logicâ, quia magis participat de perfectione animæ, cum sit magis immediatus animæ; est enim facultas quæ habet necessariam connexionem cum anima, & proinde intellectus dicitur perfectior Logicâ perfectione substantiali : Logica autem est perfectior intellectu perfectione accidentali, quatenus intellectus illius ope juvatur ad rectè definiendum dividendum & argumentandum.

Inst. ex Sancto Thoma. Ratio est satis recta ex se: ergo non est admittenda Logica quæ dirigat rationem, sive intellectum.

Resp. Dist. authoritatem Divi Thomæ ratio est satis recta ex se sine Logica, in ordine ad prima principia cognoscenda conc. in ordine ad alias conclusiones in quacumque materiâ cognoscendas neg. quia licet intellectus non fallatur circa prima principia, quæ sunt nota lumine naturali, potest tamen falli circa alias conclusiones, & ita indiget aliquâ scientiâ quâ dirigatur.

Inst. iterum atqui intellectus non indiget aliquâ scientiâ ad cognoscendas alias conclusiones: ergo nulla solutio prob. sub. intellectus non indiget habitu quo dirigatur ad verum: ergo non indiget aliqua scientia ad cognoscendas quascumque conclusiones, prob. ant. quod ex se est determinatum ad verum non indiget aliquo habitu quo dirigatur ad ipsum: atqui intellectus est ex se determinatus ad verum tanquam ad suum objectum: ergo non indiget aliquo habitu quo dirigatur ad ipsum.

Resp. neg. sub. & ad prob. distin. min. intellectus est determinatus ad verum reale, vel apparens conc. reale semper nego. Quia intellectus potest ferri ad falsum cognitum, ut verum; & ideo ut possit secernere verum reale a vero apparenti, indiget aliquâ scientiâ quæ alia non est quam Logica artificialis.

Ob. 2. Si operationes intellectus dirigerentur à Logica, vel dirigerentur antequam sint, vel quando sunt; atqui non diriguntur, antequam sint ut patet, neque quãdo sunt,

quia tunc sunt rectæ vel imperfectæ : ergo nullomodo diriguntur a Logica.

Respondeo quod operationes intellectus non diriguntur, neque antequam sint, neque quando sunt, sed cum actu fiunt, & ita diriguntur in sua causa, hoc est in intellectu.

Inst. atqui operationes intellectus non possunt dirigi quando actu fiunt: ergo nulla solutio. Prob. subs. operationes naturales non possunt dirigi ab aliqua scientiâ, quia ut docet Aristoteles *non datur ars aut scientia ad dirigendas operationes naturales :* atqui operationes intellectus, quando actu fiunt, sunt operationes naturales : ergo non possunt dirigi a Logica.

Resp. neg. subst. ad cujus prob. disting. maj. operationes naturales quæ fiunt semper eodem modo, non possunt dirigi ab aliqua scientia conc. operationes naturales quæ fiunt diverso modo, non possunt dirigi ab aliqua scientia nego, quia operationes intellectus fiunt aliquando benè, aliquando malè, ut autem fiant semper benè, necessaria est Logica per quam dirigatur intellectus.

Inst. atqui licet operationes intellectus fiant aliquando benè, aliquando malè, non indigent aliqua scientia ; ergo nulla solutio prob. subst. operationes potentiæ visivæ, aliquando fiunt benè, aliquando malè, & tamen non indigent aliquâ scientiâ ; ergo licet operationes intellectus fiant, aliquando benè, aliquando malè non indigent, aliquâ scientiâ.

Resp. neg. sub. ad cujus prob. neg. conf. quia nulla est paritas inter visum & intelle-ctum :

ctum : visus enim non est facultas, quæ emendari possit per regulas, ut intellectus.



ARTICULUS II.

An Logica infusa fuerit Adamo.

Dicendum est Logicam derivari à Deo & datam fuisse Adamo per infusionem.

Probatur. Adamus habuit omnes scientias naturales per infusionem : ergo habuit Logicam artificialem. Prob. ant. Div. Thomas 1. parte quæstione 94.art.3.docet, quòd *Adamus institutus fuit in statu perfecto quantum ad animam, ut statim posset alios instruere & gubernare* : atqui non poterat alios instruere & gubernare, nisi habuerit omnes scientias naturales per infusionem : ergo Adamus habuit omnes scientias naturales per infusionem. Præterea Adamus cognovit naturam omnium rerum : atqui non potuit cognoscere naturam omnium rerum, nisi habuerit omnes scientias: ergo Adamus habuit omnes scientias. Prob. maj. Adamus imposuit nomen omnibus rebus: atqui non poterat nomen imponere, nisi cognosceret naturam omnium rerum : ergo Adamus cognovit naturam rerum omnium.

Obj. 1. Adamus habebat intellectum rectum in suis operationibus ; ergo non indigebat Logicâ quâ intellectus perficeretur.

Resp. conc. ant. & disting. conseq. Adamus non indigebat Logicâ, in ordine ad se conc. in ordine ad alios homines neg. Quia Adamus potest considerari sub duplici ordine, vel in ordine ad se tantum; vel in ordine ad alios homines qui ex ipso Adamo erant ducturi originem; si consideretur in ordine ad se tantum, non indigebat Logicâ, quia habebat intellectum rectum. *Non poterat esse*, inquit Divus Thomas prima parte quæstione 94. art. 4. *Quod manente innocentiâ intellectus hominis falso acquiesceret.* Si verò Adamus consideretur in ordine ad alios homines, quatenus erat institutus, ut illos instrueret, debebat habere Logicam, ut cæteros homines posset illam edocere.

Obj. 2. Adamus non habuit moralem; ergo non habuit omnes scientias. Prob. ant. non habuit scientiam boni & mali; ergo non habuit moralem. Prob. ant. Adamus speravit se ex fructu consecuturum scientiam boni & mali; ergo non habebat scientiam boni & mali. Nemo enim dicitur sperare quod possidet.

Respondeo neg. utrumque ant. & ad prob. disting. ant. Adamus speravit se ex fructu consecuturum scientiam divinæ omnino similem conc. se consecuturum scientiam communem nego. Quia Adamus scientiâ communi omnium rerum adornatus sperabat tantum se consecuturum scientiam perfectiorem, quæ totaliter ad perfectissimam divinæ scientiæ similitudinem accederet.

Ob. 3. Adamus non cognovit naturam & proprietates serpentis; ergo non cognovit na-

turam omnium rerum, & proinde non habuit ſcientiam omnium rerum. Prob. ant. proprietates ſerpentis erant calliditas & taciturnitas : atqui Adamus non cognovit ſerpentis calliditatem & taciturnitatem. Primo non cognovit calliditatem, quia ſi Adamus putaſſet ſerpentem eſſe animal callidum, non fidem habuiſſet verbis illius. 2. Non cognovit ſerpentis taciturnitatem, quia Adamus putavit ſerpentem loqui, nec monuit Evam de naturali inhabilitate ſerpentis ad loquendum : ergo Adamus non cognovit naturam & proprietates ſerpentis.

Reſp. diſt. ant. Adamus non cognovit naturam & proprietates ſerpentis, actualiter conc. habitualiter nego. Similiter diſtinguenda eſt 2. pars conſeq. Adamus non habuit ſcientiam actualem con. ſcientiam habitualem neg. Quia Adamus habebat habitum ſive facultatem aliquam quâ poterat cognoſcere naturam & proprietates ſerpentis, non actu tamen cognovit ipſam ſerpentis naturam & proprietates, quia per aliquam inadvertentiam non uſus eſt illo habitu ſive illâ ſcientiâ quæ illi in inſtanti creationis à Deo fuerat infuſa.

Obj. 4. Ideo cognovit naturam omnium rerum, quia impoſuit nomen omnibus rebus : atqui inde non ſequitur quod cognoverit naturam omnium rerum ; Cum nomina ſint ſigna arbitraria hoc eſt pendent à voluntate & arbitrio imponentis ; ergo Adamus non cognovit naturam omnium rerum.

Reſp. neg. min. quia illud diſcrimen intercedit inter Adamum & cæteros homines,

quòd cæteri homines rebus imponunt nomen sine ulla ratione & cognitione; Adamus verò illud præstitit cum maxima cognitione.

Ob. 5. Si Adamus habuisset Logicam per infusionem, ipsa Adami Logica non fuisset ejusdem rationis cum nostra: atqui Adami Logica debebat esse ejusdem rationis cum nostra; ergo Adamus non habuit Logicam per infusionem.

Resp. dist. maj. Non fuisset ejusdem rationis cum nostra, secundum modum conc. secundum rem neg. Quia Logica Adami habita fuisset per infusionem, nostra verò per laborem; fuissent tamen ejusdem rationis secundum rem, quia utraque fuisset facultas benè discurrendi. Illud etiam docet Sanctus Thomas 1. parte quæstione nonagesima quarta art. 3. ad primum, *Sicut oculi quos Christus cæco nato dedit non fuerunt alterius rationis ab oculis quos natura producit*. Ita Logica Adamo infusa non fuit diversæ rationis à nostra quæ labore acquiritur.

Inst. atqui fuisset diversæ rationis secundum rem; ergo nulla solutio. Prob. subs. quæ sunt diversa essentialiter, sunt diversæ rationis secundum rem: atqui Logica Adami fuisset diversa essentialiter a nostra; ergo fuisset diversæ rationis secundum rem. Prob. min. habitus infusi essentialirer differunt ab acquisitis; ergo Logica Adamo infusa fuisset diversa essentialiter à nostra quæ labore acquiritur.

Respond. neg. subs. ad cujus prob. neg. min. & dist. ant. habitus infusi per se, differunt essentialiter ab acquisitis con. habitus infusi per accidens nego. quia illi habitus dicuntur

per se infusi qui nullo labore & studio acquiri possunt, ut sunt fides, spes, charitas. Illi habitus sunt infusi per accidens, qui labore & studio acquiri possunt, qualis fuit Logica Adami quæ proinde non differt à nostra nisi secundum modum.

Obj. sexto. Deus non facit per se ipsum quod potest facere per causas secundas: atqui Deus potuit dare omnes scientias Adamo per causas secundas scilicet per ministerium alicujus Angeli; ergo Deus non infudit omnes scientias Adamo.

Resp. dist. maj. Deus non facit per se ipsum quod potest facere per causas secundas, si Deus possit illud facere per causas secundas æquè convenienter ac facit per se ipsum conc. si possit illud minus convenienter neg. quia propter plurimas rationes convenientius erat Deum per se ipsum scientias omnes communicare Adamo, quam per ministerium alicujus Angeli. Primò convenientius erat ut qui ipsum condiderat, eum bonis artibus informaret; & qui dederat homini corpus perfectum, debebat dare animam perfectam, hoc est adornatam mirifico omnium scientiarum splendore. Secundo Angelus ad erudiendum Adamum, indiguisset aliquo temporis intervallo, quod inconveniens erat: quia sic Adamus per aliquod tempus fuisset in ignorantia. Tertio conveniens erat ut Deus esset tam liberalis in primum hominem quam in arbores plantatas in Paradiso terrestri, quas in prima productione adornavit fructibus.

Obj. 7. Adamus post peccatum recepit novam cognitionem; ergo ante peccatum

non habebat omnem cognitionem prob. ant. post peccatum oculi Adami fuerunt aperti: atqui oculos Adami fuisse apertos, est Adamum recepisse novam cognitionem, quia illa oculorum apertio non potest intelligi de oculis corporeis, siquidem Adamus nusquam cæcus fuerat; ergo Adamus post peccatum recepit novam cognitionem.

Resp. dist. ant. Adamus post peccatum recepit novam cognitionem experimentalem C. speculativam N. quia perfectus Philosophus, qualis erat Adamus, non poterat recipere novam cognitionem speculativam, recepit tamen novam cognitionem experimentalem, quia expertus est effectus peccati, scilicet rebellionem carnis contra spiritum.

Obj. 8. Adamus non habuit omnem scientiam rerum scibilium; ergo nec Logicam. Prob. ant. status præsentis vitæ conceditur homini, ut in eo proficiat homo quantùm ad cognitionem, & quantùm ad meritum; propter hoc enim anima corpori videtur esse unita: atqui anima Adami non potuisset proficere quantùm ad cognitionem, si habuisset omnem scientiam rerum scibilium; ergo Adamus non habuit omnem scientiam rerum scibilium.

Resp. neg. ant. Ad cujus prob. dist. min. Adamus non potuisset proficere in cognitione, quantùm ad numerum rerum scibilium, Con. quantùm ad modum, neg. quia verum quidem est quòd status vitæ præsentis conceditur homini, ut proficiat in cognitione, vel quantùm ad numerum rerum quæ possunt cognosci, vel quantùm ad modum quo illæ res

possunt cognosci. Non poterat quidem Adamus proficere in cognitione quantùm ad numerum rerum scibilium, quia habebat omnem scientiam : sed poterat quantùm ad modum; siquidem quæ sciebat intellectualiter, scivisset postmodum per experimentum.

Obj. ultimo. Si Adamus habuisset Logicam à Deo , Aristoteles non fuisset Logicæ inventor : atqui Aristoteles fuit inventor Logicæ ; ergo Adamus non habuit Logicam à Deo.

Resp. neg. min. quia fuit Logica ante Aristotelem ; plurimi enim ante Aristotelem habuerunt Logicam ut Ægyptii & Hæbrei qui illam didiscerunt à posteris Noë. Nihil tamen scripserunt de Logica, vel si quid scripserunt, ad Aristotelem non venit quod scriptum fuit ab illis : ideo Aristoteles dicitur tantum Logicæ reparator , quia primus Logicæ præcepta tradidit.

Ad Logicæ autem reparationem duo concurrerunt, admiratio scilicet & experientia ; quia cum veteres Philosophi plurimos effectus cernerent & causas ignorarent, rapiebantur in admirationem quæ illos ad hujusmodi effectuum causas investigandas incitabat. Experientia etiam concurrit, quia cum veteres Philosophi vellent rei alicujus naturam explicare per definitionem , errabant sæpe, quia nesciebant bonæ definitionis regulas. Longâ tandem experientiâ & diuturnâ reflexione supra suas cognitiones deprehenderunt omnem definitionem explicantem rei naturam, constare genere & differentiâ, & sic de aliis.



ATICULUS III.

Vtrum Logica sit scientia.

NOtandum est primo quinque esse virtutes intellectuales intelligentiam, sapientiam, prudentiam, scientiam & artem. Intelligentia est habitus perficiens intellectum circa prima principia per se nota. Sapientia est cognitio rerum per causas sublimiores. Prudentia est recta ratio agibilium. Constat autem quod Logica non est intelligentia, neque sapientia, neque prudentia: quærendum ergo superest an sit scientia vel ars. Scientia autem est virtus in intellectu producta quæ ipsum inclinat ad eliciendos actus certos & evidentes, vel scientia dicitur habitus per demonstrationem acquisitus. Ars vero est habitus rectè aliquid faciendi.

Notandum est 2. quod scientia sumitur triplici modo strictè, latè & latissimè. Strictè sumpta sumitur pro habitu per demonstrationem acquisito. Scientia latè usurpata sumitur pro cognitione certâ & clarâ partâ per causam propriam vel impropriam. Latissimè verò sumitur pro qualibet cognitione.

Dicendum est Logicam esse scientiam propriè dictam.

Prob. Scientia est habitus per demonstrationem acquisitus: atqui Logica est habitus per demonstrationem acquisitus; ergo Logica est scientia. Prob. minor. Ille

habitus est per demonstrationem acquisitus qui producitur in intellectu per plurimas demonstrationes repetitas : atqui Logica producitur in intellectu per plurimas demonstrationes, non enim Logica tantum sua præcepta docet, sed docendo demonstrat etiam in omni parte; nam v.g. in materia necessaria demonstrat sillogismum demonstrativum generare scientiam istâ demonstratione. Ille sillogismus generat scientiam qui constat propositionibus necessariis : atqui sillogismus demonstrativus constat propositionibus necessariis; ergo generat scientiam. Similiter in materia contingenti & probabili, Logica demonstrat sillogismum topicum generare opinionem istâ demonstratione. Ille sillogismus generat opinionem qui constat propositionibus probabilibus: atqui sillogismus topicus constat propositionibus probabilibus; ergo generat opinionem ; ergo Logica est habitus qui producitur in intellectu per plurimas demonstrationes, & proinde est scientia propriè dicta.

Obj. primo. Omnis scientia debet esse de necessariis & perpetuis : atqui Logica non est de necessariis & perpetuis; ergo non est scientia. Prob. min. Logica agit de contingentibus scilicet de definitione, de ente rationis, & de universalibus, quæ possunt esse & non esse; ergo non est de necessariis & perpetuis.

Resp. neg. min. ad cujus prob. dist. ant. Logica agit de contingentibus, secundum existentiam conc. secundum essentiam neg. Quia res omnes quæ considerantur à quali-

bet ſcientia non poſſunt eſſe neceſſariæ ſecundum exiſtentiam, cum exiſtentia in omnibus ſit contingens (excepto Deo) & ita ſufficit ut illæ res ſint neceſſariæ ſecundum eſſentiam, hoc eſt ut habeant prædicata eſſentialia, quæ ita illis conveniant, ut non poſſint non convenire, itaut non poſſimus res illas concipere quin mox concipiamus prædicata eſſentialia quæ illis conveniunt v. g. definitio eſt quid contingens ſecundum exiſtentiam quia poteſt fieri & non fieri, & tamen eſt neceſſaria ſecundum eſſentiam, quia quando dicitur: quòd definitio neceſſario debet eſſe clarior definito, ita illud prædicatum convenit definitioni, ut non poſſit non convenire.

Inſt. Si ad veram rationem ſcientiæ ſufficeret ut illa circa quæ verſatur ſcientia, eſſent neceſſaria ſecundum eſſentiam hoc eſt ut haberent quædam prædicata eſſentialia, quæ ita illis convenirent, ut non poſſent non convenire, ſequeretur quod ars ædificatoria, Rhetorica, Grammatica & cæteræ artes veram rationem ſcientiæ participarent: atqui illud non poteſt dici; ergo nec aliud. Prob. ſequela majoris. Illa circa quæ verſantur illæ omnes artes, habent quædam prædicata eſſentialia quæ ita illis conveniunt, ut non poſſint non convenire; ergo participarent veram rationem ſcientiæ. Prob. ant. In omnibus illis artibus fiunt demonſtrationes v. g. architectus poteſt facere illam demonſtrationem. Paries ad normam ſeu ad lineam perpendicularem extructus, ſtat firmus: ſed ille paries eſt extructus ad lineam perpendicularem; ergo ſtat firmus. Similiter Rhetor poteſt facere

illam demonſtrationem. Ille eſt verus Orator qui profert omnia ad ſuadendum idonea : atqui Petrus profert omnia ad ſuadendum idonea; ergo Petrus eſt verus Orator, ergo omnes illæ artes habent quædam prædicata eſſentialia quæ ita illis conveniunt, ut non poſſint non convenire.

Reſp. neg. maj. & ant. & ad prob. neg. ultimum ant. Quia artifices non conficiunt illas demonſtrationes ut ſunt artifices, ſed ut habent ſuperiorem ſcientiam, vel quatenus mutuantur principia ab aliis ſcientiis, ſic illa demonſtratio, quæ fit ab architecto, pertinet ad Phyſicam, quia innititur principio Phyſico.

Obj. 2. Logica eſt modus ſciendi unde inquit Ariſtoteles *abſurdum eſt quærere ſcientiam & modum ſciendi*, ubi per modum ſciendi intelligit Logicam; ergo Logica non eſt ſcientia.

Reſp. diſt. ant. Logica eſt modus ſciendi, materialiter & terminativè conc. formaliter neg. Quia Logica dicitur modus ſciendi materialiter & terminativè, quatenus verſatur circa modum ſciendi, illumque tradit. Poſſunt etiam diſtingui verba Ariſtotelis, *Abſurdum eſt quærere ſcientiam* aliam à Logica, *& modum ſciendi* conc. *abſurdum eſt quærere ſcientiam*, quæ fit Logica, *& modum ſciendi* neg. Quia his verbis docet Ariſtoteles cæteras ſcientias non addiſcendas eſſe ſimul cum Logica, ſed quod Logica debet prius addiſci, cum ſit neceſſaria ad alias.

Obj. 3. Logica ſecundum partem Topicam inclinat intellectum ad eliciendos actus

opinativos & probabiles; ergo Logica saltem secundum illam partem non est scientia.

Resp. dist. ant. Logica secundum partem topicam inclinat intellectum ad eliciendos actus opinativos, modo certo & evidenti conc. modo incerto tantum & probabili neg. Quia licet Logica conficiat sillogismos in omni materia, hoc facit scientificè, & ita non amittit rationem scientiæ vel dist. eandem propositionem Logica inclinat intellectum ad eliciendos actus opinativos, secundario C. primario N. quia Logica elicit primario actus scientificos, opinativos verò, ut secundarios & minus principales.



ARTICULUS IV.

Vtrum Logica docens & utens sint unus, & item realiter habitus.

NOtandum est primo quod Logica rectè dividitur in docentem & utentem, quia facultas benè discurrendi, non solum scientificè tradit regulas ad rectè argumentandum, sed etiam eas ad usum redigit, bene definiendo, dividendo & argumentando.

Notandum est 2. quod ibi solet quæri, utrum Logica adæquatè dividatur in docentem & utentem, hoc est, utrum sicuti est docens secundum omnes partes scilicet Analiticam, Topicam, & Sophisticam, utrum inquam sit etiam utens secundum omnes illas partes.

Thomistæ

Thomistæ plurimi docent, quòd Logica est tantum utens in parte Topica & Sophistica, non verò in parte demonstrativa, quia usus Logicæ utentis debet distingui à doctrina Logicæ docentis: sed demonstrationes quæ fiunt in materia propria Logicæ non distinguntur à doctrina, non sunt enim usus, sed doctrina actualis; ergo Logica non est utens in materia propria. Alii vero Thomistæ docent Logicam esse utentem etiam in parte demonstrativa, quia ipsa conficiendo suas demonstrationes, utitur quoque suis præceptis & licet ille usus non distinguatur à doctrina, potest tamen dici verè usus, quia idem actus potest simul dici doctrina & usus: Doctrina quatenus præcepta tradit, usus quatenus tradendo præcepta, servat regulas præscriptas. Sed in illa difficultate discutienda diù non immoror, eo quod nullius ferè momenti videatur esse.

Dicendum est primò Logicam docentem & utentem esse unum & eundem realiter & entitativè habitum.

Probatur primo. Usus & doctrina regularum Logicalium non exigunt duos habitus; ergo Logica docens & utens sunt unus, & idē realiter habitus. Probatur ant. Duo actus ejusdem rationis & subordinati ? quorum unus oritur ex alio non exigunt duos habitus: atqui doctrina & usus regularum Logicalium sunt duo actus ejusdem rationis & subordinati; ergo non exigunt duos habitus. Major est sancti Thomæ secundâ secundæ, quæstione 28. art. 4. quæ propositio etiam patet ex eo quod amor Dei & proximi procedunt ab ca-

dem charitate. Minor etiam est evidens,quia usus & doctrina sunt de eodem objecto materiali & formali, & quia usus præsupponit doctrinam.

Prob. 2. Actus, quorum unus non addit novam difficultatem supra alium, non exigunt diversos habitus: atqui usus non addit novam difficultatem supra doctrinam; ergo doctrina & usus non exigunt diversos habitus. Prob. min. Si usus adderet novam difficultatem supra doctrinam,vel illa difficultas orietur ex parte materiæ, vel ex parte potentiæ executivæ: atqui ex neutro capite oritur. Non oritur ex parte materiæ, quæ resistat sicut in arte Fabrili & cæteris Mechanicis cernimus,quæ habent sæpe materiam tractatu difficilem. Materia autem Logicalis non resistit; res enim cognitas possumus ordinare prout placuerit: neque etiam repugnat ex parte potentiæ executivæ; nam eadem potentia cognoscit regulas & iis utitur; ergo illa difficultas non oritur ex parte materiæ, neque ex parte potentiæ executivæ, & consequenter non sunt distincti realiter habitus.

Obj. 1. Habitus dantur ad tollendas difficultates; ergo ubi sunt diversæ difficultates ibi debent esse diversi habitus: atqui in Logica docente & utente sunt diversæ difficultates. Illud patet in novis Logicis, qui licet optime calleant regulas conficiendi sillogismos, maximam tamen patiuntur difficultatem, cum volunt sillogismos efformare; ergo Logica docens & utens sunt diversi habitus.

Resp. disting. maj. Habitus dantur ad tollendas difficultates essentiales conc. ad tollendas difficultates accidentales neg. Quia duplex assignatur difficultas. Una est essentialis quæ provenit ex defectu habitus. Altera est accidentalis quæ provenit ex defectu exercitii; illa autem difficultas quam patiuntur novi Logici ad efformandos sillogismos, provenit non quidem ex defectu habitus, quia præsupponitur illos jam habere habitum, sed provenit vel ex defectu materiæ, quæ ita prŏptè non succurrit, vel ex defectu exercitii. Ideo illa facilitas quam usu & exercitio acquirunt non potest dici novus habitus, sed est tantũ perfectio prioris in intellectu existentis.

Obj. 2. Actus essentialiter diversi producunt diversos habitus; atqui actus Logicæ docentis qui sunt scientifici & actus Logicæ utentis qui non sunt scientifici sunt essentialiter diversi; ergo producunt diversos habitus.

Resp. dist. maj. Actus essentialiter diversi & non subordinati producunt diversos habitus conc. actus essentialiter diversi & subordinati neg. Jam dictum fuit in probatione conclusionis actus Logicæ docentis & utentis esse subordinatos, quia unus præsupponit alium: fines etiam Logicæ docentis & utentis sunt subordinati; siquidem executio regularum subordinatur cognitioni, quia non potest esse talis executio, nisi præcesserit cognitio.

Obj. tertio. In omnibus artibus sunt duo habitus, unus est in intellectu, alter est in potentia executiva; ergo in Logica sunt duo habitus.

Resp. neg. conseq. & paritatem. Ratio disparitatis est quia doctrina & usus illarum artium sunt in diversis potentiis & proinde requirunt diversos habitus v. g. Musicus indiget habitu in intellectu quo cognoscat regulas benè cantandi, & indiget altero habitu in potentia executiva, ut illas cantandi regulas rectè exequatur. Logica verò unicum habitum postulat in intellectu quo cognoscat regulas rectè conficiendi sillogismos & quo illos conficiat, quia doctrina & usus Logicæ sunt in eadem potentia scilicet in intellectu.

Obj. quartò. Logica docens & utens habent diversas definitiones; ergo distinguntur realiter.

Resp. disting. ant. Logica docens & utens habent diversas definitiones inadæquatas conc. adæquatas neg. Illa autem definitio dicitur adæquata quæ definit rem secundum omnes formalitates secundum quas potest considerari. Illa verò dicitur inadæquata, quæ definit rem secundum unam tantum formalitatem. Quando ergo Logica definitur facultas quæ tradit præcepta benè definiendi, illa definitio est inadæquata, quia Logica tantum definitur secundum unum munus quod habet; non enim tantum præcepta tradit, sed etiam exequitur.

Obj. quintò. Illi habitus distinguntur realiter, qui possunt separari realiter: atqui habitus Logicæ docentis & utentis possunt separari realiter, quia aliquis potest explicare regulam definitionis, nec tamen definire: ergo Logica docens & utens sunt habitus distincti realiter.

Resp. disting. min. Logica docens & utens possunt separari si sint actuales conc. si sint habituales neg. Quia Logica docens & utens possunt considerari duobus modis, vel quatenus sunt actuales, vel quatenus sunt habituales. Logica docens actualis est explicatio regulæ pertinentis ad Logicam. Logica verò utens actualis est applicatio regulæ pertinentis ad Logicam. Logica docens habitualis est facultas explicandi regulam pertinentem ad Logicam. Logica verò utens habitualis est facilitas applicandi eandem regulam. Fateor quidem quòd Logica docens actualis & Logica utens actualis possunt separari, & ideò distinguntur; sed Logica docens habitualis, & Logica utens habitualis non possunt separari, quia sunt una facilitas, & proinde non distinguntur.

Obj. sexto, & ultimo. Usus non potest esse actus Logicæ docentis quæ est scientia, quia actus scientiæ est scire, non verò uti; ergo usus debet provenire ab alio habitu, & proinde dantur duo habitus.

Resp. dist. ant. Usus non potest esse actus Logicæ docentis, primarius conc. secundarius neg. Quia usus qui non addit novam difficultatem supra doctrinam, qualis est usus Logicæ, non postulat novum habitum, & proinde potest esse actus secundarius scientiæ. Inde sequitur quod quia usus in moralibus addit maximam difficultatem, cognitio prudentialis qua aliquis cognoscit aliquid esse faciendum & usus prudentialis quo aliquis exequitur quod faciendum esse cognoverat, spectant ad duos habitus.

Inst. atqui usus non potest esse actus secundarius scientiæ; ergo nulla responsio. Prob. subs. Ille actus secundarius esset inutilis; nihil enim de novo produceret, non quidem produceret novum habitum, ut conceditur, neque aliquid aliud: ergo usus non potest esse actus secundarius Logicæ docentis.

Resp. neg. subs. ad cujus prob. neg. ant. quia ille actus secundarius producit aliquam perfectionem in habitu jam existente quem intendit, perficit & extendit.

Instabis iterum. Atqui actus Logicæ utentis non possunt perficere habitum Logicæ docentis: ergo nulla solutio. Prob. subs. Actus Logicæ utentis non sunt scientifici, & habitus Logicæ docentis est scientificus: ergo actus Logicæ utentis non possunt perficere habitum Logicæ docentis.

Resp. disting. subs. Actus Logicæ utentis non possunt perficere habitum Logicæ docentis reduplicativè, ut docens est conc. ut utens est neg. Quia actus Logicæ docentis, & actus Logicæ utentis perficiunt realiter eundem habitum. Illi quidem quatenus est docens & scientia. Isti quatenus est utens & ars. Potest etiam dici quod Logica docens ut docens perficitur ab actibus utentis saltem indirectè, & per accidens, quatenus actus utentis eliciuntur ex directione docentis.



ARTICULUS V.

Vtrum Logica sit scientia partim speculativa, & partim practica.

NOtandum est 1. Scientiam speculativam esse illam quæ tendit tantum ad cognitionem veritatis. Practicam verò quæ tendit ad aliquod opus. Prima tendit ad veritatem ut sciat. Secunda ut operetur.

Notandum est 2. Quod speculatio nihil aliud est quam *actus solius intellectus non ordinatus ad aliquam operationem potentiæ ab intellectu diversæ regulandam.* Praxis verò definitur *actus alterius potentiæ quàm intellectus, naturaliter posterior intellectione, ad hoc ut sit actus rectus, natus elici conformiter rectæ rationi.* Ex quibus patet operationes intellectus non esse praxes, sed solum illæ actiones, quæ procedunt à voluntate, habent rationem praxis.

Notandum est 3. Quod circa hanc difficultatem triplex est opinio. Quidam dicunt Logicam esse partim practicam, & partim speculativam: nonnulli docent Logicam esse tantum practicam. Nos verò dicimus cum sancto Thoma Logicam esse purè speculativam. Hîc tantùm prima sententia rejicietur.

Dicendum est Logicam non esse partim speculativam, & partim practicam.

Prob. differentiæ essentialiter oppositæ non possunt eidem scientiæ convenire: atqui ratio speculativi & practici sunt differentiæ essentialiter oppositæ, quia constituunt scientias specie diversas; ergo ratio speculativi & practici non possunt convenire Logicæ, & proinde Logica non potest esse partim speculativa & partim practica.

Obj. 1. Theologia est partim practica, & partim speculativa: ergo Logica potest esse partim speculativa, & partim practica.

Resp. neg. conf. & paritatem. Ratio disparitatis est quia Theologia est scientia superioris ordinis habens pro objecto formali Deum sub ratione deitatis, cum autem Deus sub illa formalitate sit prima veritas & finis ultimus, est etiam prima regula speculationis & praxis, & ita Theologia, quatenus considerat Deum, ut primam veritatem, est speculativa. Quatenus verò considerat illum, ut ultimum finem, est practica. Logica verò, cum sit scientia inferioris ordinis, non potest esse speculativa & practica; quia scientia inferioris ordinis respicit objectum limitatum in quo utraque formalitas practicabilis, & speculabilis non potest simul colligi.

Obj. 2. Ratio speculativi & practici non sunt differentiæ essentialiter oppositæ: ergo possunt convenire Logicæ. Prob. ant. Differentiæ essentialiter oppositæ, non possunt convenire scientiæ etiam superioris ordinis, quia eminentia scientiæ nullo modo potest tollere essentialem oppositionem: atqui ratio speculativi & practici conveniunt Theologiæ, ut concessum fuit in primo argumento;

ergo ratio speculativi & practici non sunt differentiæ essentialiter oppositæ.

Resp. neg. ant. ad cujus prob. dist. min. Ratio speculativi & practici conveniunt Theologiæ, ut sunt prædicatum superius & inferius conc. ut sunt differentiæ essentialiter oppositæ neg. Quia ratio speculativi & practici non competunt Theologiæ pro ut reperiuntur in inferioribus. Siquidem speculativum & practicum, ut sunt in inferioribus constituunt diversas specie scientias, sed conveniunt Theologiæ, ut prædicatum superius & inferius; ita ut eodem modo ratio speculativi & practici uniantur in Theologia, quo vegetativum & sensitivum sunt in homine; nam licet vegetativum ut est in planta, & sensitivum ut est in equo sint differentiæ essentialiter oppositæ, quia constituunt res essentialiter & specificè diversas nempè plantam & equum; tamen uniuntur in homine, tanquam in aliquo superioris ordinis, non ut sunt in inferioribus, hoc est, ut sunt differentiæ essentialiter oppositæ, sed ut superius & inferius prædicatum. Notandum tamen quòd ratio speculativi, & ratio practici non sunt propriè & formaliter prædicatum superius & inferius, sed tantum impropriè, & per aliquam analogiam.

Obj. tertio. Logica est necessaria ad scientias practicas & speculativas: ergo Logica est speculativa & practica.

Resp. disting. ant. Logica est necessaria ad scientias speculativas & practicas ut sunt scientiæ conc. ut sunt speculativæ vel practicæ neg. Logicam enim esse necessariam ad

ſcientias practicas & ſpeculativas, ut ſunt ſpeculativæ & practicæ, eſt docere ſcientias practicas, quomodo debeant conficere ſuum objectum, & docere ſcientias ſpeculativas, quomodo debeant conſiſtere in cognitione ſui objecti, quòd non facit Logica, ſed docet tantum modum, ut ſine errore procedant in ſuis concluſionibus.



ARTICULUS VI.

Vtrum Logica ſit practica.

DIcendum eſt, Logicam non eſſe practicam.

Probat. Illa ſcientia non eſt practica, quæ non reſpicit objectum practicum: atqui Logica non reſpicit objectum practicum; ergo non eſt practica. Prob. min. Objectum formale Logicæ eſt ordo artificioſus quem ratio apprehendit in rebus cognitis ipſas formando in modum ſillogiſmi: atqui talis ordo non eſt aliquid practicum, ſiquidem totus conſiſtit in apprehenſione & ſpeculatione rationis, & ideo dicitur ens rationis: ergo objectum formale Logicæ non eſt aliquid practicum.

Obj. primo. Operationes intellectus induunt, & habent rationem praxis: ergo faciunt ut Logica ſit practica. Prob. ant. Operationes intellectus ſunt regulabiles, & ſubjacent regulis Logicæ quibus formantur &

diriguntur : sed quatenus subjacent regulis Logicæ induunt rationem praxis ; ergo operationes intellectus induunt rationem praxis. Prob. min. Operationes intellectus induunt rationem operis meritorii, vel culpabilis, quatenus subjacent regulis morum, & possunt fieri conformiter, vel difformiter ad legem Dei : ergo operationes intellectus induunt etiam rationem praxis, quatenus subjacent regulis Logicæ.

Resp. neg. ant. & min. & ad prob. neg. cons. Quia operationes intellectus diverso modo subjacent regulis Logicæ, & regulis morum. Subjacent regulis Logicæ, ut certius, evidentius & facilius attingant veritatem; subjacere autem regulis, ut certius & evidentius attingant veritatem, est operationes intellectus perfici in ratione & genere speculationis, & proinde operationes intellectus per subjectionem ad regulas Logicæ non exuunt & amittunt rationem speculationis. Operationes autem intellectus subjacent regulis morum, non ut attingant veritatem, sed ut meritoriè, vel culpabiliter fiant, & proinde induunt rationem praxis.

Inst. Atqui operationes intellectus, quatenus subjacent regulis Logicæ, possunt induere rationem praxis : ergo nulla solutio. Prob. subs. Operationes intellectus, quatenus subjacent regulis Logicæ, possunt applicare, & ad usum redigere illas regulas Logicæ : sed posse applicare illas Logicæ regulas est posse induere rationem praxis, quia praxis est applicatio & executio regularum : ergo operationes intellectus, quatenus sub-

jacent regulis Logicæ, possunt induere rationem praxis.

Resp. neg. subs. & disting. Prob. min. Praxis est applicatio & executio regularum practicabilium conc. speculabilium neg. Quia executio regularum speculabilium, quales sunt regulæ Logicæ est speculatio, vel saltem est executio speculativa regularum.

Obj. 2. Illa scientia est purè practica, quæ versatur circa objectum operabile ab eo qui habet scientiam: atqui Logica versatur circa objectum operabile ab eo qui habet scientiam, nempè circa ens rationis: ergo Logica est purè practica.

Resp. 1. dist. maj. illa scientia est purè practica, quæ versatur circa objectum operabile, modo operabili conc. modo scibili neg. Similiter distinguenda est minor propositio. Logica versatur circa objectum operabile, modo scibili conc. modo operabili neg. Quia licet aliqua scientia versetur circa objectum operabile ab intellectu, tamen semper est speculativa, modo versetur circa illud objectum operabile, non ut operabile, sed ut scibile, & modo scibili. Illa autem scientia dicitur versari circa objectum operabile, ut operabile, & modo operabili, quæ constructo tali objecto ibi quiescit. Illa verò dicitur versari circa objectum operabile, ut scibile, & modo scibili, quæ constructo objecto non ibi quiescit, sed illo utitur ad cognitionem veritatis, quod facit Logica, quæ constructo ente rationis non ibi quiescit, sed illo utitur ad cognitionem veritatis, & ita potest dici quòd Logica eodem modo se habet

het ac Geometria & Astrologia ; nam sicut ratio scientiæ speculativæ non aufertur Geometriæ, licet conficiat aliquod opus, nempè triangulum, & sicut non aufertur etiam Astrologiæ ratio scientiæ speculativæ, licet conficiat aliquod opus nempè astrolabium. Ita non aufertur Logicæ ratio scientiæ speculativæ, licet conficiat sillogismum. Ratio autem scientiæ speculativæ non aufertur Geometriæ & Astrologiæ, quia talem constructionem trianguli & astrolabii ordinant ad cognitionem veritatis ; ita ratio scientiæ speculativæ non aufertur Logicæ, quia sillogismi & definitionis constructionem ordinat ad perfectam veritatis cognitionem.

Resp. 2. dist. eandem maj. prop. Illa scientia est practica, quæ versatur circa objectum operabile per operationem quæ non sit speculatio conc. per operationem quæ sit speculatio neg. Vel illa scientia est practica quæ versatur circa objectum operabile extra intellectum conc. intra intellectum neg. Ratio primæ distinctionis est quia ens rationis quod est objectum Logicæ, fit per operationem intellectus, quæ tota est speculatio. Ratio secundæ distinctionis est, quia illud opus quod fit intra intellectum non est aliquid propriè practicum, sed speculativum.





ARTICULUS VII.

Vtrum Logica ſit purè ſpeculativa.

DIcendum eſt Logicam eſſe ſcientiam purè ſpeculativam.

Probatur. Illa ſcientia eſt purè ſpeculativa, quæ verſatur circa ſpeculationes: atqui Logica verſatur circa ſpeculationes; ergo Logica eſt purè ſpeculativa. Prob. min. Logica verſatur circa definitiones & argumentationes tanquam circa finem: ſed definitiones & argumentationes ſunt ſpeculationes; ergo Logica verſatur circa ſpeculationes. Prob. min. Definitiones & argumentationes ſunt operationes intellectus: ſed operationes intellectus ſunt ſpeculationes; ergo definitiones & argumentationes ſunt ſpeculationes.

Obj. 1. Scientia ſpeculativa eſt tantum propter ſe: atqui Logica eſt propter alias ſcientias, cum ſit neceſſaria ad illas; ergo Logica non eſt ſpeculativa.

Reſp. diſting. maj. Scientia ſpeculativa particularis eſt tantum propter ſe conc. Scientia ſpeculativa univerſalis eſt tantum propter ſe neg. Quia Logica dicitur univerſalis & relativa, quia reſpicit omnes ſcientias ad quas eſt neceſſaria.

Obj. ultimo. Scientia ſpeculativa eſt nobilior practica: ſed Logica non eſt nobilior

Morali, cum habeat objectum ignobilius; ergo Logica non est speculativa.

Resp. disting. min. Logica non est nobilior Morali extrinsecè, & in ratione objecti conc. intrinsecè & in ratione modi quo tendit in objectum neg. quia verum quidem est quod ens rationis, quod est objectum Logicæ est ignobilius ente reali, quod est objectum aliarum scientiarum; sed modus quo Logica tendit in objectum, cum sit speculabilis, est nobilior quam modus quo Moralis tendit in suum objectum.



ARTICULUS VIII.

Vtrum Logica sit simpliciter necessaria ad acquirendas alias scientias, tam in statu perfecto, quam imperfecto.

NOtandum est 1. Duplex esse necessarii genus. Aliud dicitur necessarium simpliciter & absolutè. Aliud dicitur necessarium secundum quid. Necessarium simpliciter & absolutè est illud sine quo res aliter non possunt fieri, ita cibus & respiratio dicuntur simpliciter necessaria ad vitam. Necessarium secundum quid est illud sine quo res quidem potest fieri, sed non ita commodè. Sic equus est necessarius ad iter agendum.

Notandum est 2. Quamlibet scientiam

posse considerari in duplici statu scilicet in statu perfecto & imperfecto. Scientia in statu perfecto considerata est cognitio omnium conclusionum, & modi procedendi: scientia verò in statu imperfecto considerata est cognitio alicujus dumtaxat conclusionis, non autem modi procedendi.

Notandum est 3. Circa illam difficultatem tres esse diversas sententias. Prima docet Logicam esse tantum necessariam secundum quid. Secunda asserit Logicam esse simpliciter necessariam ad acquirendas scientias tantum in statu perfecto. Tertia verò demonstrat Logicam esse simpliciter necessariam ad acquirendas scientias tantùm in statu perfecto.

Dicendum est 1. Logicam esse simpliciter necessariam ad acquirendas alias scientias in statu perfecto.

Prob. Acquirere scientias in statu perfecto est cognoscere omnes conclusiones quæ spectant ad talem scientiam: atqui non possunt cognosci omnes conclusiones alicujus scientiæ sine Logica; ergo sine Logica non possunt acquiri scientiæ in statu perfecto. Prob. minor. Cognoscere conclusiones alicujus scientiæ est posse discurrere per discursum certum & evidentem: atqui nullus potest discurrere per discursum certum & evidentem sine Logica; ergo omnes conclusiones alicujus scientiæ non possunt acquiri sine Logica. Prob. min. Discurrere per discursum certum & evidentem est posse resolvere conclusionem scientificam ad primum usque principium, & posse sophismata in contrarium objicienda

diluere : ſed nemo poteſt reſolvere concluſionem ad primum uſque principium, & ſophiſmata in contrarium objicienda diluere ſine Logica, quia ſola Logica docet præcepta quibus poſſumus reſolvere concluſiones uſque ad prima principia, & ſophiſmata in contrarium objicienda diluere; ergo ſine Logica nemo poteſt diſcurrere per diſcurſum certum & evidentem, & proinde Logica eſt ſimpliciter neceſſaria ad acquirendas ſcientias in ſtatu perfecto.

Obj. 1. Demonſtratio perfecta poteſt fieri ſolo lumine naturali; ergo ſcientia in ſtatu perfecto conſiderata poteſt acquiri ſine Logica.

Reſp. diſt. ant. Demonſtratio perfecta poteſt fieri ſolo lumine naturali, in materia facili conc. in materia difficili neg. Vel poteſt fieri demonſtratio perfecta ex parte ſui conc. ex parte demonſtrantis neg. Demonſtratio poteſt eſſe perfecta duplici modo, vel ex parte ſui, vel ex parte demonſtrantis, tunc eſt perfecta ex parte ſui, quando ſervat regulas bonæ demonſtrationis; perfecta verò eſt ex parte demonſtrantis, quando conficiens demonſtrationem cognoſcit bonitatem conſequentiæ, quod non poteſt fieri ſine Logica artificiali.

Obj. 2. Si Logica eſſet neceſſaria ad omnes ſcientias acquirendas eſſet neceſſaria ad ſeipſam, cum ſit ſcientia; atqui hoc eſt abſurdum, quia idem eſſet prius & poſterius; ergo Logica non eſt neceſſaria ad omnes ſcientias acquirendas.

Reſp. 1. diſting. maj. Logica diverſò

modo considerata esset necessaria ad seipsam. conc. eodem modo considerata neg. Quia Logica potest considerari duplici modo scilicet in statu perfecto, & in statu imperfecto. Et ita Logica in statu imperfecto considerata est necessaria ad se ipsam in statu perfecto consideratam.

Resp. 2. neg. maj. Quia quando dicimus, quòd Logica est necessaria ad scientias, intelligimus illas quas antecedit, & cum non seipsam antecedat, non est necessaria ad seipsam.

Inst. Atqui Logica nullam antecedit scientiam; ergo ad nullam est necessaria. Prob. subs. Objecta realia aliarum scientiarum sunt priora objecto Logicæ, quòd est ens rationis; ergo aliæ scientiæ sunt priores Logica; & proinde Logica nullam antecedit scientiam. Præterea aliæ scientiæ inventæ sunt per actum directum, ut Physica inventa fuit per considerationem directam rerum naturalium; Logica verò fuit inventa per actum reflexum; sed actus directus est prior reflexo; ergo aliæ scientiæ inventæ per actum directum sunt priores Logicâ inventâ per actum reflexum.

Resp. 1. neg. subs. & ad proba. quantùm ad primam partem disting. ant. Objecta aliarum scientiarum sunt priora objecto Logicæ in esse rei, & secundum entitatem conc. in esse cognoscibili neg. Quia cum objectum aliarum scientiarum sit ens reale ex quo resultat ens rationis, sequitur objectum aliarum scientiarum esse prius in esse rei, & secundum entitatem, sed ens rationis, quatenus est directivum aliarum scientiarum, est prius

in esse cognoscibili hoc est prius cognoscitur, quia quod inservit ad cognitionem alterius debet prius cognosci sive addisci.

Resp. 2. Neg. idem subs. & ad proba. quantum ad secundum partem dist. Min. actus directus est prior suo reflexo Con. omnis actus directus est prior omni reflexo neg. certum est quod actus directus Logicus est prior actu reflexo Logico, sed actus reflexus Logicus est prior alijs actibus directis aliarum scientiarum. quod ut melius intelligatur revocandum est quo modo Logica & aliæ scientiæ fuerint inventæ atque reparatæ.

Primo sagaces viri modo bonas, modo malas argumentationes construebãt in quavis materià, & hujus modi benæ argumentationes dicuntur Actus directi primarij & minimè scientifici, quia non habebant veritatem saltem formæ sillogisticæ.

Secundo ijdem viri facta reflexione supra hujusmodi argumentationes tam bonas quam malas observaverunt modos quibus bonæ argumentationes fierent, easque separarunt à vitiosis argumentationibus, & sic præcepta tradiderunt de bonis argumentationibus; & ita præcepta Logicæ inventa sunt per actus reflexos seu per experientiam reflexam.

Tertio ijdem instructi præceptis Logicæ cupientes acquirere scientias, construxerunt bonas argumentationes in materiâ Physicâ, Mathematicâ, alijsque materijs & sic exercuerunt Actus scientificos sive Physicos, sive Mathematicos qui sunt directi & secundarij, sunt que ad huc minus perfecti quia licet sint certi & evidentes, tamen nondum sunt cum tota facilitate requisitâ.

Quarto denique per actus hujusmodi scientificos minus perfectos & sæpius repetitos, acquisiverunt scientias habituales perfectas, & instructi hujusmodi scientiis habitualibus exercuerunt actus scientificos perfectos scilicet cum tota facilitate, & tales actus sunt etiam directi & quasi tertiarij, ex his omnibus patet quod actus directus Logicus est quidem prior actu reflexo Logico: sed patet etiam quod actus reflexus Logicus est etiam prior actibus directis aliarum scientiarum.

Instabis contra primam responsionem: atqui logica non est prior in esse cognoscibili, cum non debeat prius addisci & cum non sit incipiendum ab illa; ergo nulla solutio prob. subs. Aristoteles quinto Metaphysicæ capite 1. docet quod *in tradendis scientijs incipiendum est à facilioribus*: atqui logica non est facilior alijs scientijs; ergo non est incipiendum à logica.

Resp. Neg. subs. ad cujus proba dist. authoritatem Aristotelis *incipiendum est à facilioribus* quando difficiliora non sunt necessaria ad addiscenda faciliora Con. quando sunt necessaria Neg. quia logica quamvis difficilior, est necessaria ad alias faciliores; ergo incipiendum est à logica. Ita sanctus Thomas opusculo septimo quæstione ultima Articulo primo, ad tertium. *Necessitas*, inquit, *requirit ut in addicendo scientias incipiamus à Logica licet non sit facilior alijs scientijs quia aliæ scientiæ ab illa dependent.*

Objicies Tertio Logicam esse simpliciter necessariam est logicam dare posse acquirere alias scientias; ita ut sine Logica nullo mo-

do possimus illas acquirere; atqui Logica non dat posse acquirere alias scientias: ergo non est simpliciter necessaria ad acquirendas alias scientias Prob. Min. habitus naturales & acquisiti non dant simpliciter posse: atqui Logica est habitus naturalis & acquisitus; ergo non dat simpliciter posse.

Resp. 1. Neg. Min. & ad proba. dist. Min. habitus naturales particulares non dant simpliciter posse Con. habitus naturales universales Neg. similiter distinguenda est Minor propositio Logica est habitus naturalis acquisitus universalis Con. particularis Neg. quia cum Logica sit necessaria ad omnes scientias dicitur habitus universalis.

Resp. 2. Neg. eandem Min. propositionem& ad proba. disting. Min. Logica non dat simpliciter posse ad actus ad quos inclinat Con. non dat simpliciter posse ad acquirendas scientias in statu perfecto Neg. quia licet Logica inclinet intellectum ad conficiendas definitiones, intellectus tamen sine Logica potest conficere aliquas definitiones, sed non potest acquirere scientias in statu perfecto ut jam probatum est, & proinde Logica dat simpliciter posse ad acquirendas scientias in statu perfecto.

Objicies ultimo omnes scientiæ habent suas demonstrationes; ergo omnes scientiæ possunt acquiri sine Logica.

Resp. dist. Ant. omnes scientiæ habent suas demonstrationes quantum ad materiam & actus Con. quantum ad formam Neg. tria enim distinguenda sunt in demonstratione. scilicet materia circa quam uersatur forma

ſeu ordo ſyllogiſticus in illa materia introductus: & tandem aſſenſus quibus adhæremus majori minori & conſequentiæ. Verum quidem eſt quod quælibet ſcientia habet propriè materiam circa quam verſatur demonſtratio: verum eſt etiam quod aſſenſus quibus adhæremus præmiſſis & concluſioni ſunt effectivè à ſcientia ad quam pertinent objecta talium aſſenſuum, ſed certum eſt quod forma ſillogiſmi in omnibus demonſtrationibus omnium ſcientiarum eſt ab ipſa Logica, quia Logica diſponit materiam omnium ſcientiarum in formam ſillogiſmi hoc eſt artificiosè ordinat res cognitas.

Dicendum eſt 2. & ultimo Logicam non eſſe neceſſariam ad alias ſcientias acquirendas in ſtatu impefecto.

Probatur ſcientia in ſtatu imperfecto conſiderata eſt cognitio alicujus concluſionis: ſed aliqúa ſcientiæ concluſio poteſt cognoſci ſine Logica. v. g. poteſt cognoſci Lunæ eclypſis per ſuam cauſam ſcilicet per interpoſitionem terræ inter ſolem & lunam; quilibet enim hoc facilè concipiet, ſi ei explicetur; ergo Logica non eſt neceſſaria ad acquirendas alias ſcientias in ſtatu imperfecto.

Præterea ut ait Joannes à Sancto Thoma ſcientiæ dependent à Logica tanquam effectus artis ab arte, quia Logica eſt neceſſaria ad alias ſcientias acquirendas tanquam ars & inſtrumentum acquirendi ſcientias: ſed effectus artis non ita dependent ab arte ut non poſſint aliquando ſaltem imperfectè fieri ſine arte. ita (inquit Divus Thomas) poteſt homo aliqualiter exire in ſcientiæ & virtu-

tis actum, antequam habeat habitum scientiæ & virtutis, quo adepto perfectè operatur; ergo scientiæ possunt acquiri in statu imperfecto sine Logica. Prob. adhuc Minor si effectus artis ita dependerent ab arte, ut non possent esse sine arte, sequereretur quod artes neque scientiæ possent acquiri sine actibus atqui absurdum est illud dicere; ergo effectus artis non ita dependent ab arte ut non possint esse sine illa. Prob. sequela Majoris artes & scientiæ non possent acquiri si nulli actus præcederent: atqui nulli actus præcederent ut supponitur; ergo nullomodo possent acquiri scientiæ. Major est evidens actus enim quibus generantur scientiæ & artes debent ipsas scientias & artes præcedere, & ita non dependent ab artè & proinde Logica non est necessaria ad alias scientias acquirendas in statu imperfecto.

Objicies. Omnis scientia in statu imperfecto considerata est vera scientia: sed nulla scientia vera potest acquiri sine Logica; ergo scientia in statu imperfecto considerata non potest acquiri sine Logica.

Prob. Min. scientia non potest acquiri sine demonstratione: sed demonstratio non potest fieri sine Logica; ergo scientia in statu imperfecto considerata non potest acquiri sine Logica.

Resp. Neg. Min. ad cujus proba. disting. aliam Min. demonstratio difficilis non potest fieri sine Logica Con. demonstratio facilis Neg. quia sola Logica naturalis sufficit ad conficiendam aliquam facilem demonstrationem & ita Logica artificialis, non est ne-

cessaria ad imperfectum esse scientiæ & quasi ad primam scientiæ generationem, sed tantum ad perfectionem & quasi ad ejus nutritionem, & ita cum Joanne à S. Thoma dicendum est quod Logica est necessaria ad alias scientias sicut respiratio & cibus dicuntur necessaria animali, nam licet respiratio & cibus dicantur simpliciter animali necessaria, non tamen omnibus modis, quando enim primo generatur animal, non indiget cibo & respiratione, ita quando primo in intellectu producitur habitus scientificus, non indiget Logica artificiali.



ARTICULUS ULTIMUS.

Vtrum ens rationis sit objectum Logicæ.

NOtandum est 1. objectum esse illud quod alicui scientiæ considerandum objicitur, sive circa quod aliqua scientia versatur.

Notandum est 2. duplex esse objectum scilicet materiale & formale. Materiale est illud quod scientia considerat & illud solet vocari objectum quod, ut objectum materiale visus est res quæ videtur. Objectum formale; quod solet vocari objectum quo, est aliqua formalitas determinans objectum materiale & efficiens ut ab aliqua scientia respiciatur v. g. homo secundum se expectatus

s est objectum plurimarum scientiarum cundum diversas formalitates quæ ipsum eterminant, ut sit objectum illius & istius ientiæ V. G. quatenus est ens mobile, conderatur à Physica, quatenus est ens sanaile, consideratur à Medicina.

Notandum est 3. duas esse formalitates in objecto formali;una dicitur ratio quæ. Altera licitur ratio sub qua. Ratio quæ, est ipsa formalis objecti essentia quæ directè à scientia cōsideratur. Ratio formalis sub qua est formaitas determinans aliam ut possit percipi à potentia. Illud clarius patebit exemplo; videmus enim lapidem, & ille lapis visus est objectum materiale potentiæ visivæ, sed videmus lapidem ratione coloris qui color secundum suam essentiam spectatus est ratio formalis quæ determinat lapidem ut sit potius objectum visus quam tactus & alterius sensus, sed quia color secundum suam essentiam spectatus, est multiplex & specificè diversus, non potest reddere potentiam unam & ab alijs distinctam, ideo debet esse formalitas quædam secundum quam quasi adunentur colores omnes & ab una potentia visiva attingantur, & hæc est ratio formalis sub quâ, communiter appellata visibilitas.

Notandum est quarto quod illa omnia debent reperiri in Logica; scilicet objectum materiale, formalitas quæ, & formalitas sub qua. Non ibi quidem disputatur de objecto materiali, quia certum est quod ipsæ res cognitæ sunt ipsum objectum materiale Logicæ, siquidem facultas discurrendi habet pro objecto materiali id quod est mate-

ria discursus : sed res ipsæ cognitæ sunt materia nostri discursus; ergo sunt objectum materiale Logicæ; non ibi etiam disputatur de ratione formali sub qua, quia apud omnes constat rationem sub qua Logicæ, sicut & aliarum scientiarum, esse ejus principia, cujus modi sunt *quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se* &c. Siquidem ut docet Sanctus Thomas principia sunt veluti quædam lux animi irradians conclusiones unde se habent in scientijs sicut lux in objectis visibilibus. Disputatur autem ibi tantum de ratione formali quæ, & quæritur utrum ens rationis sit ipsa formalitas, hoc est utrum sit objectum formale Logicæ.

Notandum est 5. in objecto formali tres necessario reperiri conditiones. Prima est ut objectum sit unum, quia scientia desumit suam unitatem specificam ab objecto, sive constituitur una & distincta ab alijs scientijs. Secunda conditio est ut habeat causas & proprietates, quia quodlibet objectum debet posse cognosci : atqui non potest cognoci nisi per causas & proprietates; ergo debet habere causas & proprietates. Tertia conditio est ut omnia quæ tractantur in scientia referantur ad objectum, vel tanquam causæ, vel tanquam partes, vel tanquam proprietates, quia si res quæ tractantur in scientia non dependerent ab objecto & non referrentur ad ipsum, scientia illas res diversas ut diversas consideraret, & ita scientia non esset una.

Dicendum est ens rationis esse objectum formale Logicæ.

Probatur 1. authoritate sancti Thomæ qui quarto Metaphysicæ lectione quarta docet quod *duplex est ens, scilicet ens naturæ & ens rationis* & paulo post subjungit *& hujus modi ens rationis est propriè subjectum Logicæ*; atqui esse subjectum Logicæ idem est ac esse objectum; ergo ex mente sancti Thomæ ens rationis est objectum Logicæ.

Probatur 2. Ens rationis habet omnes conditiones necessario requisitas; ergo ens rationis est objectum formale Logicæ. Prob. ant. quoad omnes conditiones. Primo ens rationis quatenus est directivum operationum intellectus est unum, & distinguitur ab alijs entibus rationis, & ita facit ut Logica distinguatur ab alijs scientijs; siquidem quatenus respicit ens rationis, distinguitur ab alijs scientijs quæ respiciunt objecta realia, & quatenus Logica respicit ens rationis ostensivum veritatis & directivum trium mentis operationum, distinguitur à Grammatica quæ respicit ens rationis ut congruum, & à Rhetorica quæ respicit ens rationis ut ornatum; ergo ens rationis habet primam conditionem objecti. Secundo ens rationis habet principia per quæ demostretur ut *quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se: dici de omni*; & habet causam nempè intellectum; ergo habet secundam conditionem. Tertiâ omnia quæ tractantur in Logica reducuntur ad ens rationis, uel tanquam ejus species, ut definitio & divisio, vel tanquam partes ipsum componentes, ut genus & differentia; ergo ens rationis habet tertiam conditionẽ objecti & proinde ens rationis est objectum formale Logicæ.

Objicies 1. ex Scoto, sillogismus in communi est objectum Logicæ; ergo ens rationis non est objectum Logicæ Prob. Ant. sillogismus in communi habet omnes conditiones necessario requisitas in objecto. 1. Est quid unum, licet in eo sint tres propositiones, quia ratione ordinis & dispositionis quam habent inter se, efficiunt unum dumtaxat sciendi instrumentum de quo potest haberi vera scientia, sicut de exercitu & republica. 2. Habet proprietates nempé parere scientias. Tertio omnia quæ tractantur in Logica reducuntur ad sillogismum in communi, vel tanquam partes ipsum componentes, ut simplices termini, vel tanquam ejus species, ut sillogismus demonstrativus & topicus; ergo sillogismus in communi est objectum formale Logicæ.

Respondeo Neg. Ant. & dist. ultimam partem probationis, omnia quæ tractantur in Logica reducuntur ad sillogismum in communi & ipse refertur ad aliquid aliud Con. & ipse non refertur ad aliquid aliud Nego. quia licet omnia quæ tractantur in Logica referrentur ad sillogismum in communi, tamen non esset objectum adæquatum Logicæ, quia illa omnia quæ referuntur ad sillogismum, & ipse sillogismus, quatenus sunt entia rationis, referuntur ad ens rationis in communi, ut est directivum trium mentis operationum, quod proinde est objectum adæquatum & formale Logicæ.

Objicies secundò, ex opinione quorundam Philosophorum Græcorum. Sola demonstratio, seu sillogismus demonstrativus est obje-

ctum Logicæ; ergo ens rationis non est objectum Logicæ. Prob. ant. Finis Logicæ est expellere errores ex intellectu, & juvare intellectum ad acquirendas scientias: sed sola demonstratio potest illud efficere; ergo cum objectum petatur ex fine, sola demonstratio est objectum Logicæ. Prob. min. Sola demonstratio veritatem ostendit, & ignotum manifestat; ergo sola demonstratio expellit errores ex intellectu, & juvat intellectum ad acquirendas scientias.

Resp. neg. ant. ad cujus proba. neg. min. & ant. Quia non sola demonstratio veritatem ostendit, siquidem definitio & divisio sunt orationes veritatis manifestativæ. Præterea omnia quæ tractantur in Logica non reducuntur ad sillogismum demonstrativum; agitur enim de definitione & divisione, quæ non continentur sub demonstratione, & etiam si reducerentur ad illam, tamen demonstratio non haberet rationem objecti adæquati, quia illa omnia non tractantur in Logica, ut reducantur ad demonstrationem, quia æquè principaliter tractantur, ac ipsa demonstratio.

Obj. 3. Ex sententia quorundam recentiorum. Logica versatur circa operationes intellectus tanquam circa propriũ objectum; ergo non versatur circa ens rationis. Prob. ant. Logica versatur circa definitionem, divisionem & argumentationem: sed definitio, divisio, & argumentatio sunt operationes intellectus; ergo Logica versatur circa operationes intellectus.

Resp. neg. ant. ad cujus proba. dist. maj.

Logica versatur circa definitionem, divisionem & argumentationem objectivam & effectam conc. formalem & effectivam nego. Quia definitio, divisio & argumentatio possunt considerari dupliciter, v. g. argumentatio potest considerari, vel ut est oratio in qua unum infertur ex alio, vel ut est actus intellectus. Quando argumentatio consideratur, ut est oratio in qua unum infertur ex alio, vocatur argumentatio effecta & objectiva, & ita est ens rationis, quod consideratur à Logica. Quando verò consideratur, ut est actus intellectus, vocatur argumentatio formalis & effectiva, & sub illa formalitate non consideratur à Logica. Eodem modo ratiocinandum est de definitione & divisione.

Objicies 4. Ex sancto Thoma. *Logica dicitur rationalis, quia versatur circa actus rationis*, & ex eodem sancto Thoma, *actus mentis sunt propria materia Logicæ*; ergo Logica versatur circa operationes intellectus, tanquam circa proprium objectum.

Resp. 1. disting. primam authoritatem Sancti Thomæ Logica versatur circa actus rationis, tanquam circa finem conc. tanquam circa objectum neg. Quia operationes intellectus sunt tantùm finis Logicæ, non verò objectum, ut patebit ex distinctione subsequenti.

Respondeo 2. disting. secundam authoritatem sancti Thomæ. Actus mentis sunt propria materia dirigibilis conc. cognoscibilis neg. Quia Logica non occupatur, ut cognoscat naturam operationum intellectus, sed tantùm ut illas dirigat.

Obj. 5. Sanctus Thomas in proemio Ethicorum docet, quòd *sicut Philosophia Moralis versatur circa operationes voluntatis, ut dirigibiles; ita Philosophia rationalis versatur circa operationes intellectus, ut dirigibiles*: Atqui operationes voluntatis, ut dirigibiles sunt objectum Philosophiæ Moralis; ergo operationes intellectus, ut dirigibiles sunt objectum Philosophiæ rationalis hoc est Logicæ.

Resp. dist. maj. *Sicut Philosophia Moralis versatur circa operationes voluntatis, ut dirigibiles. Ita Philosophia rationalis versatur, circa operationes intellectus, ut dirigibiles.* Secundum quid conc. simpliciter & absolutè neg. Quia Moralis & Logica in hoc conveniunt quòd utraque dirigat: una operationes voluntatis: altera operationes intellectus; si autem in Morali objectum & finis, sint idem hoc est per accidens: & ita non debet concludi, quòd Logica debeat habere operationes intellectus pro objecto, quia illas habet pro fine.

Obj. 6. Objectum Logicæ debet esse reale; ergo ens rationis non potest esse objectum Logicæ. Prob. ant. Omnis scientia specificatur ab objecto; ergo tale debet esse objectum qualis est scientia: atqui Logica est scientia realis; ergo objectum debet esse reale.

Resp. dist. maj. Omnis scientia specificatur ab objecto, extrinsecè conc. intrinsecè neg. Quia ordo, quem dicit scientia ad objectum, est differentia intrinseca per quam

ſcientia ſpecificatur intrinſecè, & talis ordo eſt realis.

Inſtabis. Ordo quem dicit Logica ad objectum eſt realis; ergo objectum debet eſſe reale. Prob. conſeq. Ordo realis petit habere terminum realem, ſive objectum reale; ergo cum ordo quem dicit Logica ad objectum ſit realis, objectum debet eſſe reale.

Reſp. neg. conſ. ad cujus prob. diſt. ant. Ordo realis prædicamentalis petit habere terminum realem conc. ordo realis tranſcendentalis neg. Quia relatio prædicamentalis eſt illa, quæ advenit rei ad poſitionem alterius, & illa relatio diſtinguitur realiter à re, ut infra probabitur. v. g. quando dealbatur paries, reſultat in altero pariete jam albo relatio ſimilitudinis, & hæc relatio, quæ eſt prædicamentalis, exigit ſemper terminum realem. Relatio verò tranſcendentalis eſt ipſa rei entitas in quantum ordinatur ad aliud, & illa relatio poteſt terminari ad ens rationis.

Obj. 7. Omne objectum debet eſſe cognoſcibile: atqui ens rationis non eſt cognoſcibile; ergo non poteſt eſſe objectum Logicæ.

Reſp. diſt. min. Ens rationis non eſt cognoſcibile, ſubjectivè conc. objectivè neg. Quia ens rationis eo modo eſt cognoſcibile quo eſt ens, cum autem ſit ens objectivum, ita eſt cognoſcibile objectivè.

Inſt. Ens rationis non poteſt eſſe in intellectu; ergo non eſt cognoſcibile objectivè. Prob. ant. Ens rationis non poteſt eſſe in

ſenſu; ergo nec in intellectu, quia *nihil eſt in intellectu, quod prius non fuerit in ſenſu.*

Reſp. neg. ant. ad cujus prob. diſt. aliud ant. Ens rationis non eſt in ſenſu per ſpeciem propriam conc. per ſpeciem alienam neg. Quia ens rationis repræſentatur per ſpeciem entis realis. Poteſt etiam diſtingui authoritas Ariſtotelis, *Nihil* ſenſibile *eſt in intellectu, quod prius non fuerit in ſenſu* conc. nihil inſenſibile neg. Quia Ariſtotelis authoritas intelligenda eſt de rebus ſenſibilibus, vel de rebus, non quas intelligimus; ſed per quas intelligimus, ſicut ſunt ſpecies intentionales, ſeu rerum ſimilitudines. Deus enim & Angeli ſunt in intellectu, nec tamen fuerunt per ſe in ſenſu niſi per creaturas.

Inſt. iterum. Bos nullomodo poteſt repræſentare leonem; ergo ſpecies entis realis nullomodo poteſt repræſentare ens rationis. Prob. conſ. Magis differunt ens reale, & ens rationis, quam leo & bos; ergo cum bos nullomodo poſſit repræſentare leonem, ſpecies entis realis nullomodo poteſt repræſentare ens rationis.

Reſp. neg. conſ. ad cujus prob. diſt. ant. Magis differunt ens reale, & ens rationis quam bos & leo in ratione entis, & in eſſe entitativo con. in eſſe repræſentativo neg. Quia licet bos & leo conveniant in ratione entis, non poſſunt tamen ſe repræſentare, quia diſparatè ſe habent, hoc eſt unum non dependet, & non oritur ex alio. Ens autem reale & ens rationis, licet minus conveniant in ratione entis, poſſunt tamen ſe repræſen-

tare, quia non sunt disparata; siquidem ens rationis est quasi modus entis realis, & ens rationis resultat ex ente reali.

Obj. 8. Ens rationis non potest esse objectum intellectus; ergo non potest cognosci ab intellectu. Prob. ant. Objectum potentiæ realis debet esse reale: atqui intellectus est potentia realis; ergo objectum intellectus debet esse reale, & proinde ens rationis non potest esse objectum intellectus.

Resp. neg. ant. ad cujus prob. dist. maj. Objectum primarium intellectus debet esse reale con. objectum secundarium neg. quia ens rationis est illud, quod secundario percipitur ab intellectu.

Inst. Atqui ens rationis non potest esse objectum secundarium intellectus; ergo nulla solutio. Prob. subs. Si ens rationis esset objectum secundarium intellectus, deberet esse cognoscibile, antequam cognosceretur: atqui non potest dici, quòd ens rationis sit cognoscibile, antequam cognoscatur; ergo non est objectum secundarium intellectus. Prob. maj. Quidquid cognoscitur, præsupponitur cognoscibile, antequam cognoscatur; ergo si ens rationis esset cognoscibile, deberet esse tale, antequam cognosceretur.

Resp. neg. subst. ad cujus prob. neg. maj. & dist. ant. Quidquid cognoscitur debet esse cognoscibile antequam cognoscatur, si cognosci actu non sit de ejus essentia conc. si cognosci actu sit de ejus essentia neg. Quia ens rationis non est cognoscibile antequam cognoscatur, quia nihil est in se, & tamen est

noſcibile, quandò cognoſcitur; neque
nte rationis actus primus antecedit actum
ndum, hoc eſt cognoſcibile in potentia,
antecedit cognoſci actu, quia cognoſci
i eſt de eſſentia entis rationis, ſicuti non
eſt dici, quòd Deus potuerit exiſtere an-
uam exiſtat, quia eſt de eſſentia Dei,
òd exiſtat, ita ens rationis non poteſt
gnoſci, antequam cognoſcatur, quia
gnoſci actu eſt de eſſentia entis ratio-
s.

Obj. 9. Ens rationis non habet cauſam
i productivam; ergo non eſt cognoſci-
le, & proinde non poteſt eſſe objec-
um Logicæ.

Reſp. neg. ant. Quia ens rationis habet
auſam ſui productivam, nempè intellectum
quo producitur, non quidem primario,
quia cauſa realis debet primario producere
effectum realem, ſed tantùm ſecundario; ita
ut intellectus ſit tantùm cauſa Metaphyſica
entis rationis, quia producit ens rationis,
non per veram efficientiam, & per realem
influxum, ſed per reſultantiam, quatenus
ens rationis reſultat ab ente reali.

Obj. ultimo. Ens rationis non habet pro-
prietates, quia vel eſſent reales, vel rationis:
atqui non poſſunt eſſe reales, quia ita pro-
prietates eſſent nobiliores ente rationis, non
poſſunt etiam eſſe proprietates rationis, quia
ſic idem eſſet proprietas ſui ipſius: ergo cum
ens rationis nullas poſſit habere proprietates,
non poteſt eſſe objectum Logicæ.

Reſp. Quòd ens rationis habet proprieta-

tes rationis, nec tamen sequitur, quòd idem sit proprietas sui ipsius, quia sub entę rationis in communi continentur plurima alia entia rationis; ita ut unum sit proprietas alterius; ita oppositio, æquipollentia, conversio sunt proprietates propositionis.



PRIMA



PRIMA PARS LOGICÆ MAJORIS.

De his quæ pertinent ad primam mentis operationem.



RIMA mentis operatio, ſimplex ſcilicet apprehenſio, dirigitur terminis, ut jam dictum fuit: proinde in iſta prima Logicæ Majoris parte agendum de terminis. Termini autem alii ſunt ſingulares. Alii univerſales. De ſingularibus nihil eſt dicendum, quia de ſingularibus non datur ſcientia. Agendum ergo ſupereſt de terminis univerſalibus, de quibus duo explicanda occurrunt. 1. Univerſalitas ipſa. 2. Diſtinctio rerum univerſalium in decem prædicamenta. Proinde iſta prima Logicæ pars in duos Tractatus dividetur. Primus erit de Univerſalibus, Secundus erit de Prædicamentis.



TRACTATUS PRIMUS.

De Universalibus.



ISTE Universalium Tractatus dicitur Isagoge Porphirii, id est introductio ad prædicamenta Aristotelis. Circa autem Universalia duæ erunt quæstiones. Prima ', de Universalibus in communi. Secunda, de Universalibus in particulari.



QUÆSTIO I.

De Universalibus in communi.

UNIVERSALE in communi & in tota sua latitudine sumptum est illud, quòd respicit multa & ordinatur ad illa. Est autem quadruplex scilicet universale in significando, in repræsentando,

in causando, & in essendo. Universale in significando est illud, quod multa significat, ut vox ista, homo. Universale in repræsentando est illud, quod plura repræsentat, ut idea artificis plures domos repræsentat. Universale in causando est illud, quod plurima causat, ut Sol. Universale in essendo est illud, quod est aptum in esse multis, & prædicari de multis. Quando autem universale dicitur unum aptum in esse multis, illa definitio est essentialis, quia esse in multis est de essentia universalis in essendo, quando verò universale dicitur aptum prædicari de multis, illa definitio est descriptiva, quia prædicari de multis est proprietas universalis, quatenus prædicari sequitur esse. Ibi tantùm disputatur de universali in essendo. Quædam tamen dicentur de distinctione, quia illa maximè sunt necessaria ad intelligenda plurima, quæ tractantur in Logica, & in aliis Philosophiæ partibus.



ARTICULUS I.

An detur distinctio formalis Scoti.

NOtandum est 1. Distinctionem esse carentiam identitatis, quia duo distingui est duo non esse unam, & eandem entitatem.

Notandum est 2. Duplicem esse distinctio-

nem scilicet realem & rationis. Distinctio realis est illa, quæ reperitur in rebus ante operationem intellectus distinctio rationis est illa, quæ dependet & fit ab intellectu.

Notandum est 3. Distinctionem realem esse duplicem, scilicet distinctionem realem majorem, & distinctionem realem minorem. Distinctio realis major est illa quæ reperitur inter rem & rem, ut inter Petrum & Paulum. Distinctio realis minor est illa quæ reperitur inter rem & modum ejus, ut inter Petrum & ejus sessionem.

Notandum est 4. Duplicem esse distinctionem rationis, scilicet rationis ratiocinantis, & rationis ratiocinatæ. Distinctio rationis ratiocinantis est illa, quæ nullum habet fundamentum, & quæ pendet à solo intellectu, qui illam distinctionem facit, quando cognoscit bis idem objectum, modo in quantum est prædicatum, & modo in quantum est subjectum, ut quandò fit ista propositio. Petrus est Petrus. Distinctio rationis ratiocinatæ est illa, quæ habet fundamentum propter quod intellectus distinguit illa quæ non sunt distincta, apprehendendo unum sine alio, vel judicando unum non esse aliud.

Notandum est 5. Fundamentum distinctionis rationis ratiocinatæ esse aliquam perfectionem relucentem in diversis effectibus, qui connotant diversa principia. Illud fundamentum vocatur distinctio virtualis, quia virtute sua facit quidquid faceret distinctio actualis si adesset. Vocatur etiam præcisio objectiva, quia est illud quòd diversis conceptibus cognoscitur.

Notandum est ultimò. Præter illas distinctiones à nobis assignatas, Scotum admittere aliam quam vocat distinctionem formalem ex natura rei. Illam vocat formalem, quia asserit illam distinctionem non esse quidem realem, cum non sit inter rem & rem, sed inter formalitates. Illam etiam vocat actualem, quia docet illam esse actualiter in illis formalitatibus.

Dicendum est primò, non dari distinctionem formalem Scoti.

Probatur. Proprietas non potest latius patere, quam ipsum subjectum; ergo cum distinctio sit proprietas entis, & cum omne ens sit reale vel rationis, omnis distinctio debet esse, vel realis, vel rationis, & proinde non datur distinctio media, sive formalis ex natura rei.

Respondent Scotistæ. Quod datur aliquod ens medium, quòd neq; est reale, neq; rationis & proinde quod potest dari distinctio media.

Sed contra vel illud ens medium est dependenter ab intellectu, vel independenter, si sit dependenter ab intellectu est ens rationis, si sit independenter ab intellectu est ens reale, & proinde non datur ens medium.

Respondent Scotistæ, illud ens medium esse ens reale, non propriè dictum, sed prout opponitur nihilo.

Sed contra, quod opponitur nihilo, & est independenter ab intellectu est ens reale propriè dictum; ergo si illud ens quod admittitur à Scotistis, opponatur nihilo, & sit independenter ab intellectu, non est ens medium, sed est ens reale propriè dictum.

Obj. 1. Gradus Metaphysici scilicet animal & rationale distinguntur formaliter ex natura rei : ergo datur distinctio formalis ex natura rei. Prob. ant. Illa distinguntur per quorum unum res convenit cum aliis & differt ab illis : atqui homo per animal convenit cum aliis animalibus , & per rationale differt ab illis ; ergo animal & rationale distinguntur formaliter ex natura rei.

Resp. neg. ant. ad cujus prob. neg. maj. Quia una & eadem entitas secundum diversas formalitates considerata potest esse causa per quam aliquid conveniat & differat , ita animal & rationale , licet in homine sint una & eadem entitas , efficiunt tamen ut homo conveniat cum equo & differat ab illo : animal , quatenus est principium operationum sensitivarum , facit ut homo conveniat : & rationale , quatenus est principium operationum rationalium , facit ut homo differat.

Obj. 2. Si animal & rationale essent unum & idem , sequeretur quòd animal esset principium ratiocinandi , & consequenter ubi reperiretur animal , ibi reperiretur principium ratiocinandi : atqui illud non potest dici ; ergo nec aliud.

Resp. dist. maj. Animal entitativè consideratum est principium ratiocinandi conc. animal formaliter consideratum est principium ratiocinandi neg. Quia animal potest considerari duplici modo , scilicet entitativè & formaliter. Animal formaliter consideratum est tantum principium sentiendi. Animal verò entitativè consideratum , non tantum est principium sentiendi , sed etiam princi-

pium ratiocinandi : ita dici potest quod animalitas non est formaliter rationalitas, quia animalitas exprimit humanitatem, ut est tantum principium sentiendi, & non ut est principium ratiocinandi.

Obj. 3. animal & rationale habent diversas definitiones; ergo non sunt unum est idem.

Resp. dist. Ant. habent diversas definitiones inadæquatas con. adæquatas neg. quia illa dicuntur habere definitiones adæquatas qua definiuntur ut sunt à parte rei : illa vero dicuntur habere definitiones inadæquatas, quæ definiuntur ut sunt in intellectu, sed quando animal definitur principium sentiendi, & rationale definitur principium ratiocinandi, tunc non definiuntur ut sunt à parte rei, sed tantum ut sunt in intellectu, quia animal non tantum est principium sentiendi, sed est etiam principium ratiocinandi : similiter rationale non tantum est principium ratiocinandi, sed est etiam principium sentiendi.

Obj. ultimo. Illa quorum unum perficitur ab alio distinguntur actu : atqui gradus Metaphysici sic se habent, quia animal perficitur à rationali. Animal enim est perfectius in homine quam in equo; ergo gradus Methaphysici distinguntur actu.

Resp. Neg. Maj., quia idem secundum diversas formalitates consideratum potest se ipsum perficere. Ita rationale, in quantum est principium ratiocinandi, perficit animal in quantum est principium sentiendi.

Dicendum est 2. dari distinctionem vir-

tualem & præcisiones objectivas.

Prob. conclusio quoad primam partem. Dari distinctionem virtualem est dari distinctionis rationis fundamentum: atqui datur fundamẽtũ distinctionis rationis; ergo datur distinctio virtualis. Prob. min. fundamentum distinctionis rationis est entitas quæ existens una æquivalet pluribus: atqui datur entitas existens una & æquivalens pluribus v. g. calor solis indurans lutum & emolliens ceram, æquivalet plurimis virtutibus: similiter in homine datur aliqua entitas quæ simul est principium discurrendi & sentiendi; ergo datur fundamentum distinctionis rationis.

Prob. conclusio quoad secundum partem. Dantur præcisiones formales quæ nihil aliud sunt quam operationes intellectus quibus concipit unam formalitatem, non concipiendo aliam cum qua identificatur; ergo dantur præcisiones objectivæ quæ nihil aliud sunt quam illæ formalitates sic cognitæ. Prob. conseq. una formalitas ex parte objecti correspondet præcisioni formali & non alia ex parte objecti; ergo si dentur præcisiones formales, dantur etiam præcisiones objectivæ. Præterea si quis procul positus videat aliquid se movens, cognoscit esse animal, & nescit an sit rationale uel irrationale, tunc attingitur una formalitas, non vero alia, & illud omne se tenet ex parte objecti; ergo tunc saltem dantur præcisiones objectivæ.

Obj. dari distinctionem virtualem inter animal & rationale & ipsos gradus Metaphysicos objectivè præscindi, nihil aliud est quam animal posse cognosci non cognito

rationali: atqui animal non potest cognosci non cognito rationali; ergo non datur distinctio virtualis inter animal & rationale & ipsi gradus Metaphysici objectivè non præscinduntur. Prob. min. duo prædicata contradictoria non possunt verificari de eodem: atqui si animal posset cognosci non cognito rationali, duo prædicata contradictoria nempè cognosci & non cognosci, verificarentur de eodem nempè de animali & rationali quæ sunt una & eadem entitas; ergo animal non potest cognosci non cognito rationali.

Resp. Neg. Min. ad cujus prob. dist. maj. duo prædicata contradictoria non possunt verificari de eodem indivisibiliter sumpto con. divisibiliter sumpto neg. quia ut duo contradictoria possint verificari de eodem, sufficit ut illud unum sit virtualiter multiplex quæ virtualis multiplicitas reperitur in gradibus Metaphysicis per distinctionem virtualem. Illud patebit exemplo: verificatur de eodèm puncto, quod est finis & non est finis illa tamen contradictio tollitur quia punctum est virtualiter multiplex, si quidem sumitur secundum diversas formalitates; dicitur enim de eodem puncto quod non est finis lineæ, quatenus incipit aliam lineam; dicitur vero quod est finis, quatenus terminant unam lineam.

Inst. animalitas non potest produci non productà rationalitate; ergo animalitas non potest cognosci non cognità rationalitate, quia cognosci & non cognosci eodem modo opponuntur, quam produci & non produci.

Resp. Neg. Cons. quia produci & non

produci sunt prædicata intrinseca quæ non possunt verificari de eodem, cognosci vero & non cognosci sunt prædicata tantum extrinseca. Produci & non produci sunt prædicata intrinseca, quia proveniunt à formâ intrinsecâ scilicet ab entitate rei quæ producitur. Cognosci vero & non cognosci sunt prædicata extrinseca, quia proveniunt à forma extrinseca scilicet à cognitione quæ est in ipso intellectu cognoscente.



ARTICULUS II.

De universali Platonicorum.

NOtandum est 1. per universale Platonicum intelligi ideas Platonis: sed ubi tales ideas posuerit Plato, valdè incertum est. Asserunt plurimi ipsum nihil aliud eas esse voluisse quam æterna rerum omnium condendarum exemplaria in mente divina existentia. Ita sanctus Augustinus 22. de civitate Dei cap. 26. & plurimi Philosophi tum veteres tum recentiores.

Notandum est 2. quod per ideas Platonis alij intelligunt formas à singularibus separatas & per se subsistentes, quæ causæ erant omnium rerum quæ sensibus nostris subjiciuntur. Volunt ergo Platonem docere præter singulos homines dari alium hominem, extra Deum, æternum & incorruptibilem cujus participatione formantur cæteri homi-

nes, sicuti participatione ejusdem sigilli fiunt plures imagines in cera. Præterea docebat Plato quod idearum duplex erat impressio: una in materia : altera in mentibus nostris. Impressio facta in materia multiplicabat individua, sicut impressio sigilli plures in cera format imagines. Altera impressio facta in mentibus communicabat omnem scientiam; ideo affirmabat Plato quod anima ante unionem cum corpore erat adornata omnibus scientiis, sed quod illæ scientiæ erant obscuratæ, ubi anima esset immersa corpori; quæ scientiæ iterum relucebant studio : unde dicebat Plato scientias esse quasdam reminiscentias.

Notandum est 3. quod licet incertum sit ubi Plato posuerit ideas; tamen quodam modo probabile est Platonem per ideas intelligere naturas subsistentes à singularibus separatas : duo proinde in isto articulo. Probabuntur 1. Probabitur Platonem per ideas intelligere naturas subsistentes à singularibus separatas; 2. non dari illas ideas.

Dicendum est 1. Platonem per ideas intelligere naturas à singularibus separatas.

Prob. 1. Plato per ideas non intelligit ideas divinas; ergo intelligit naturas à singularibus separatas. Prob. ant. Aristoteles plurimis in locis insectatur ideas Platonis: sed si Plato intelligeret per ideas, divinas ideas, Aristoteles non ipsas insectaretur; ergo per ideas Plato non intelligit ideas divinas, sed naturas subsistentes à singularibus separatas.

Præterea plurimi sancti Patres Platonem

redarguunt præcipuè sanctus Ambrosius libro quarto de Fide. cap. 3. sancti, Iræneus, Maximus & alij docent è Platonicis ideis ortas esse hæreses & deliria gnosticorum doleo inquit Tertulianus *bona fide Platonem omnium hæreticorum condimentarium factum*; ergo per ideas Plato non intelligit ideas divinas.

Prob. 2. ideo Plato admittebat ideas ut rerum definitiones & scientias astrueret & naturam rerum in communi traderet; atqui ad astruendas rerum definitiones & scientias, non poterant inservire ideæ divinæ; quis enim non videt ideas & exemplaria rerum in mente Dei existentia nihil conferre ad nostrum modum intelligendi, definiendi, aut sciendi res in universali, neque enim attendimus ad illas ideas, dum universalia volumus definire aut concipere; ergo Plato per ideas non intelligebat ideas divinas, sed naturas per se subsistentes separatas à singularibus.

Obj. 1. Aristoteles non intellexit Platonis doctrinam, vel Platoni imposuit; ergo ideæ Platonis non sunt naturæ à singularibus separatæ.

Resp. 1. neg. primam partem ant. quia incredibile est. Aristotelem Platonis mentem non assecutum esse, cum ipse esset tam acri & perspicaci ingenio discipulus, & cum per viginti annos Platonem audierit.

Resp. 2. neg. secundam partem ant. quia incredibile est Aristotelem præceptorem de se benè meritum calumniæ traducere voluisse imo & à calumniæ suspicione eum vendicant verba posita libro primo Ethicorum cap. 4. dum ait *arduam & lubricam quæstionem* esse

esse quam aggreditur ; *eo quod amici sunt qui ideas introduxerunt,sed præstat,* inquit, *veritatis tuendæ causâ non solum amicorum, sed nostra ipsorum etiam decreta refutare : cum enim utraque chara sint , amici nimirum , & veritas, pium tamen est & sanctum , veritatem amicis anteponere.*

Obj. 2. nullus potest afferri ex Aristotele locus ubi ideas extra Deum positas admisisse Platonem aperte doceat ; ergo ideæ Platonis non sunt naturæ à singularibus separatæ.

Resp. neg. ant. quia 3. Metaph. cap. 2. & lib. 1. cap.6. & 7. ubi maximè arguit Platonem , quod eorum , quæ sunt , essentiam ab his sejunxerit , & crediderit in rebus ipsis non essentiam , sed essentiæ imaginem & adumbratam in materia imitationem esse : sicut facies non est in speculo , sed faciei tantum imago in eo apparet.

Obj. 3. Et ultimo. Nusquam in libris Platonis occurrunt ideæ extra Deum positæ, imo Plato in Timæo mundi originem describens docet mundum à Deo , cum voluit , juxta exemplar quod mente conceperat conditum fuisse , ita in Dialoguo qui Hippias & in eo qui Parmenides inscribitur ideas non alibi quam in mente intelligentis cujusdam inesse docet ; ergo ideæ Platonis non sunt naturæ à singularibus separatæ.

Resp. neg. cons. quia Plato præter ideas divinas docet alias esse ideas extra deum : & quamvis nullus reperiretur locus apud Platone qui ipsas ideas extra Deum apertè doceat , ipsam tamen fuisse sententiam Platonis probabile est cum Aristoteles , Sanctus Thomas

& plurimi Sancti Patres ipsam fuisse Platonis sententiam affirment.

Dicendum est 1. Non dari ideas Platonis sive naturas à singularibus separatas.

Prob. implicat illas naturas esse simul vniversales & singulares : atqui illæ naturæ abstractæ à singularibus, essent simul vniversales & singulares; essent vniversales ut supponit ipse Plato, & essent singulares, quia illæ naturæ uel essent improductæ uel productæ, non potest dici quod essent improductæ, quia solus Deus est improductus : Si vero essent productæ, essent singulares, quia quidquid est productum est singulare; ergo illæ naturæ essent simul vniversales & singulares quod implicat, proinde non possunt dari ideæ Platonis.

Obj. simile aliquando non producitur à simili, ignis non producitur ab igne, mus non producitur à mure, rana non producitur à rana; ergo debent dari aliquæ naturæ universales cujuslibet speciei quæ producant illa omnia.

Resp Neg. Conseq. quia illa omnia producuntur à causis æquivocis nempè à cœlo.

Inst. atqui illa omnia non possunt produci à cœlo; ergo nulla responsio. Prob. subs. debet esse similitudo inter causam & effectum: atqui non esset similitudo; ergo illi effectus non possunt produci à cœlo.

Resp. Neg. Subs. ad cujus proba. disting. Maj. debet esse proportio & similitudo formalis vel virtualis con. formalis semper neg. quia inter cœlum & illos effectus non datur quidem similitudo formalis, quia cœli & illi

effectus non habent eandem formam; siquidem cœli sunt inanimati, & illi effectus sunt animati. Datur tamen similitudo virtualis quia cœli habent virtutem producendi illos effectus.



ARTICULUS III.

De Vniversali Nominalium.

NOtandum est quod Nominales crediderunt sola nomina esse vniversalia, & negarunt ipsis nominibus respondere naturas vniversales; ita ut res omnes essent singulares.

Dicendum est falsam esse opinionem Nominalium.

Probatur primo. Dantur scientiæ de universalibus quæ non possunt esse sola nomina: ergo falsa est opinio nominalium. Prob. Ant. quando v. g. Medicus disputat de febri, non tantum disputat de illo nomine, sed de re per tale nomen significata. Similiter quando Physicus disputat de ente mobili, non tantum disputat de illo nomine, sed de re per tale nomen significata; ergo dantur scientiæ de vniversalibus quæ non sunt sola nomina.

Probatur 2. Naturæ quæ significantur per illa nomina sunt vniversales & non essentialiter singulares; ergo sola nomina non sunt vniversalia pro. Ant. illæ naturæ sunt vni-

versales saltem fundamentaliter & non sunt essentialiter singulares quæ reperiantur multiplicatæ in individuis : atqui reperiuntur plurimæ naturæ, quæ sunt multiplicatæ in individuis : ergo non sunt essentialiter singulares, sed sunt fundamentaliter universales.

Obj. Omnes res sunt singulares : ergo nihil est universale præter nomina. Prob. ant. omnes res existunt à parte rei, sunt corruptibiles, & productæ : sed quidquid existit à parte re, quidquid est corruptibile, & productum, est singulare : ergo res omnes sunt singulares.

Resp. neg. ant. ad cujus prob. dist. min. Quidquid existit à parte rei, quidquid est corruptibile & productum, est singulare, per accidens conc. per se neg. Quia omnes naturæ dicuntur singulares per accidens, quia existunt in singularibus. Sed quia possunt abstrahi ab illis singularibus, ideo possunt recipere universalitatem, & ita omnes naturæ dicuntur universales fundamentaliter.



ARTICULUS IV.

An unitas numerica, & unitas specifica distinguantur.

NOtandum est 1. Unitatem esse indivisionem rei in se, & divisionem ab alia

quacumque re. Petrus v. g. dicitur unus, quia est indivisibilis, hoc est, non est divisibilis in alios Petros, & est divisibilis ab alia quacumque re.

Notandum est 2. Duplicem dari unitatem scilicet numericam & formalem. Unitas numerica est indivisio rei singularis in se, & divisio ab alia quacumque re singulari, quæ unitas modo vocatur numerica, modo vocatur differentia individualis. Vocatur unitas numerica, quia est principium numeri, qui est multitudo rerum singularium realiter inter se distinctarum. Vocatur etiam differentia individualis, quia per illam unitatem quodlibet individuum in se unum numero constituitur, & à quolibet alio individuo numericè distinguitur. Illa verò unitas numerica solet exprimi per terminum abstractum deductum ex nomine proprio cujusque individui: à Petro v. g. fit Petreitas à Joanne Joanneitas &c. Unitas formalis est unitas naturæ secundum se consideratæ. Unde solet definiri indivisio naturæ communis in se, & divisio ab alia quacumque natura.

Notandum est 3. Duplicem dari unitatem formalem, scilicet genericam & specificam. Unitas formalis generica est illa per quam aliqua conveniunt, seu sunt unum genere qualis est inter hominem & equum. Unitas formalis specifica est inter ea quæ solo numero differunt, ut inter Petrum & Paulum.

Dicendum est. Unitatem numericam, & unitatem specificam distingui tantum distinctione virtuali ante ipsam operationem intel-

lectus, & post ipsam distingui distinctione rationis ratiocinatæ.

Prob. Illa distinguntur distinctione virtuali, quæ ita se habent, ut unum possit attingi sine alio cum fundamento in re: atqui intellectus potest cognoscere idem individuum secundum gradum individualem, non verò secundum gradum specificum cum fundamento in re, nam alius est effectus formalis unitatis numericæ, quæ facit indivisionem in duo numero diversa, & alius est effectus unitatis specificæ, quæ facit indivisionē in duo specie diversa; ergo unitas numerica & unitas specifica distinguntur tantum virtualiter.

Obj. 1. Incorruptibile & corruptibile distinguntur formaliter ex natura rei: atqui unitas numerica est corruptibile, & unitas specifica est incorruptibilis, cum conveniat omnibus individuis, quæ simul sumpta non corrumpuntur; ergo unitas numerica, & unitas specifica distinguntur formaliter ex natura rei.

Resp. 1. neg. maj. Quia corruptibile & incorruptibile non tantum distinguerentur distinctione formali, posito etiam quod daretur talis distinctio, sed distinguerentur distinctione reali.

Resp. 2. neg. min. Quia cum unitas specifica identificetur cum unitate numerica, si una sit incorruptibilis; altera debet esse etiam incorruptibilis.

Obj. 2. & ultimo. Quæ sunt à diversis causis & principiis distinguntur inter se, quia unus effectus non potest produci à diversis

causis: atqui unitas numerica, & unitas specifica procedunt à diversis causis & principiis; siquidem unitas specifica provenit à forma, & unitas numerica provenit à materia signata quantitate; ergo unitas numerica & unitas specifica inter se distinguntur.

Resp. dist. maj. Quæ sunt à diversis principiis ejusdem ordinis distinguntur inter se conc. quæ sunt à diversis principiis diversi ordinis inter se distinguntur neg. Similiter distinguenda est minor propositio atqui unitas numerica & unitas specifica sunt à diversis principiis diversi ordinis conc. ejusdem ordinis neg. Quia quando in doctrina Thomistica dicimus, quòd idem effectus non potest produci à diversis causis, intelligimus à diversis causis ejusdem ordinis; forma autem & materia signata quantitate non sunt principia ejusdem ordinis, ut patet, & proinde unitas specifica & numerica possunt ab illis procedere; & ita distinguntur tantum virtualiter.



ARTICULUS V.

Vtrum detur unitas formalis multis positivè communis.

DIcendum est 2. Non dari unitatem multis positivè communem.

Prob. Illa unitas positiva nulli potest con-

venire naturæ; ergo non datur. Prob. ant. Si convenerit alicui naturæ , illa natura nullomodo posset dividi , quia illa unitas ita entitatem cui convenit , reddit indivisam , ut nullomodo posset dividi; dicit enim carentiam cujuscumque divisionis : atqui quælibet natura potest dividi & de facto dividitur in individua v. g. natura humana dividitur in Petrum & Paulum; ergo illa unitas positiva nulli potest convenire naturæ.

. Obj. 1. Natura humana non dividitur formaliter & specificè , & ipsamet natura humana existens in Petro & Paulo definitur eadem definitione ; ergo natura humana est una.

Resp. disting. conseq. Natura humana est una unitate conformitatis & similitudinis conc. unitate positiva & entitativa neg. Quia natura Petri & natura Pauli sunt duæ entitates ab invicem distinctæ & divisæ , & ita non sunt quid unum unitate entitatis , sed tantum unitate similitudinis , in quantum natura Petri est similis naturæ Pauli , quatenus utraque habet eadem prædicata essentialia.

Obj. ultimo. Petrus & Paulus non distinguuntur à parte rei formaliter , sive ratione essentiæ & naturæ ; ergo sunt unum unitate formali.

Resp. dist. conseq. Sunt unum unitate negativa conc. sunt unum unitate positiva neg. quia unitas positiva est eadem entitas in se indivisa ; unitas verò negativa est negatio diversitatis. Ideo Petrus & Paulus dicuntur, quid unum unitate negativa, quatenus carent principiis quibus distinguatur , non verè sunt

unum unitate positiva quatenus entitas Petri est divisa ab entitate Pauli. Eadem distinctione possunt solvi omnia argumenta quæ proponi solent in nostram sententiam.



ARTICULUS VI.

Utrum detur universale formale à parte rei

Dicendum est non dari universale à parte rei, sed solum per intellectum.

Natura quælibet potest considerari in triplici statu. 1. Vel secundum se hoc est secundum prædicata essentialia, quæ illi semper conveniunt. 2. Potest considerari, ut est in singularibus contracta. 3. Ut est in intellectu à singularibus separata: atqui uniuersalitas non convenit naturæ secundum se consideratæ, neque ut est in singularibus; ergo illì tantum convenit, ut est in intellectu. Prob. min. quoad omnes partes. 1. Universalitas non convenit naturæ secundum se consideratæ, quia vel illi conveniret tanquam prædicatum essentiale, vel tanquam proprietas: non potest convenire tanquam prædicatum essentiale, quia natura potest concipi sine universalitate, non potest etiam convenire tanquam proprietas, quia quidquid convenit naturæ tanquam proprietas debet convenire omnibus habentibus naturam, ideo enim risibilitas convenit Petro & Paulo, quia con-

venit homini ; atqui universalitas non convenit omnibus habentibus naturam, non possunt enim fieri istæ propositiones *Petrus est universalis*, *Paulus est universalis* : non potest etiam convenire naturæ, ut est in singularibus, quia in illo statu potius est universalis, quam singularis ; ergo universalitas convenit tantum naturæ, ut est in intellectu.

Obj. 1. Ex Aristotele *Universalia non debent esse à singularibus separata* : ergo universalitas convenit naturæ, ut est in singularibus.

Resp. dist. authoritatem Aristotelis. Universalia materialiter & fundamentaliter sumpta, non debent esse à singularibus separata conc. universalia formaliter sumpta nego. Quia Aristoteles hac authoritate impugnat tantum Sententiam Platonicorum asserentium naturas universales existere per se separatas à singularibus.

Obj. 2. dantur species & genera : atqui species & genera sunt naturæ universales ; ergo dantur à parte rei naturæ universales.

Resp. dist. maj. Dantur species & genera materialiter sumpta conc. formaliter sumpta nego. Quia species & genera materialiter sumpta sunt aliquæ naturæ, quæ possunt fieri & denominari universales, & illæ naturæ dantur à parte rei. Species verò & genera formaliter sumpta sunt formalitas generis, & speciei quæ non convenit naturis nisi ut sunt in intellectu, ut jam probatum est.

Obj. 3. Objecta scientiarum sunt univer-

salia : atqui objecta scientiarum dantur à parte rei ; ergo à parte rei dantur universalia.

Resp. dist. maj. Objecta scientiarum sunt universalia materialiter & fundamentaliter con. formaliter neg. Similiter distinguenda est minor propositio. Objecta scientiarum sunt à parte rei secundum realitatem entitatis suæ conc. secundum statum universalitatis neg. Quia naturæ, quæ recipiunt universalitatem, sunt objecta scientiarum, non verò universalitas, quia non est illud, quod primo & immediatè respicitur à scientiis, sed ipsa universalitas est tantum conditio necessario requisita ad objectum cujuslibet scientiæ, quia ut scientia sit certa, objectum debet esse certum, ut autem objectum sit certum, debet concipi in abstracto & in universali, quia natura quælibet in singulari & in individuo est mutationi subjecta, & proinde est incerta.

Obj. 4. Quod est actu in multis habet aptitudinem essendi in multis : atqui natura humana v. g. est actu in multis ; ergo habet aptitudinem essendi in multis, & proinde est universalis.

Resp. dist. maj. Quod est actu in multis habet aptitudinem essendi in multis, vel fundamentalem, vel positivam conc. positivam semper nego. Quia natura humana, quæ est in singularibus, & virtualiter distinguitur ab illis, potest ab illis præscindi et considerari sine illis ; & ideo dicitur habere aptitudinem fundamentalem essendi in multis.

Obj. ultimo. Natura divina est una à parte rei, & est in pluribus personis, ut fides

docet; ergo à parte rei est universalis.

Resp. dist. ant. Est una in pluribus pluralitate relativa & personali conc. pluralitate absoluta neg. Quia illa pluralitas dicitur absoluta, quæ convenit naturæ, quæ reperitur in pluribus & dividitur in ipsis. Illa autem pluralitas non convenit naturæ divinæ, quæ non dividitur in personis, sed semper remanet una & singularis, & proinde non est universalis.



ARTICULUS VII.

Per quam operationem intellectus fiat universale.

NOtandum est 1. Quatuor esse operationes intellectus per quas Universale dicitur fieri, scilicet per abstractionem intellectus agentis, per præcisionem intellectus possibilis, per comparationem simplicem, & per comparationem compositam. Abstractio intellectus agentis est operatio ipsiusmet intellectus cujus officium est denudare phantasmata in imagine residentia à conditionibus individualibus, & ex ipsis phantasmatis elicere speciem, quæ non quidem actu, sed virtualiter repræsentet naturam ab omnibus individuis separatam, & sic intellectus agens efficit, ut species quæ antea directè repræsentabat Petrum, jam directè solam naturam humanam repræsentet. Præcisio est operatio intellectus possibilis per quam intellectus cognoscit

gnoscit naturam secundum sua prædicata essentialia, non cognoscendo singularia, sive non ordinando naturam ad sua singularia: hæc autem operatio dicitur propriè denudatio naturæ à conditionibus individualibus. Comparatio simplex est secunda operatio intellectus possibilis, per quam intellectus cognoscit naturam abstractam cum ordine ad inferiora, nihil affirmando, vel negando. Comparatio composita est tertia intellectus possibilis operatio per quam intellectus judicat & affirmat naturam dicere ordinem ad singularia.

Notandum est 2. Tres esse varias sententias circa præsentem quæstionem: quidam enim putant universale fieri per abstractionem intellectus agentis. Alii per præcisionem intellectus patibilis. Nonnulli verò per comparationem simplicem.

Dicendum est universale fieri per comparationem simplicem.

Prob. Universale Logicum fit per illam intellectus operationem per quam natura recipit aptitudinem essendi in multis: atqui natura recipit aptitudinem essendi in multis per comparationem simplicem: ergo universale Logicum fit per comparationem simplicem. Prob. min. Aptitudo essendi in multis est relatio rationis ad multa: atqui natura recipit talem relationem per comparationem simplicem; ergo & recipit aptitudinem. Prob. min. Natura recipit illam relationem ad multa per illam operationem per quam cognoscantur illa multa: atqui illa multa non cognoscuntur per abstractionem intellectus

agentis, quia illa operatio non est cognitio, neque per præcisionem intellectus possibilis, quia per illam operationem cognoscitur natura secundum se non cognitis singularibus, neque per actum comparativum, quia per illum actum intellectus componendo naturam cum singularibus, supponit illam componibilem, sive aptam essendi in multis; ergo universale fit tantum per comparationem simplicem.

Obj. 1. Ex opinione illorum qui dicunt universale fieri per abstractionem intellectus agentis. Natura quæ singularis erat, fit universalis per illam operationem per quam abstrahitur à singularibus: atqui natura abstrahitur à singularibus per abstractionem intellectus agentis: ergo natura fit universalis per talem operationem.

Resp. gratis concessâ maj. neg. min. Quia natura non abstrahitur à differentiis individualibus per abstractionem intellectus agentis, sed solum abstrahitur species intelligibilis à Phantasmatis, quæ species non repræsentat actu ipsam naturam, sed tantum virtualiter, quatenus intellectus patibilis potest uti illa specie ad cognoscendam naturam.

Obj. 2. Ex opinione illorum qui dicunt universale fieri per præcisionem intellectus patibilis. Natura abstracta à singularibus est universalis: ergo natura fit universalis per illum actum per quem abstrahitur à singularibus: atqui natura abstrahitur à singularibus per abstractionem intellectus patibilis: ergo fit universalis per talem actum.

Resp. dist. maj. natura abstracta à singu-

laribus est universalis Metaphysicè & fundamentaliter conc. Logicè & formaliter nego. Quia duplex est universale scilicet Metaphysicum & Logicum. Universale Metaphysicum importat tantum naturam unam, & illa natura fit una per præcisionem intellectus patibilis, quia per illum actum natura secundum se cognoscitur non cognitis singularibus. Universale verò Logicum importat naturam unam aptam in esse multis, & natura fit una apta in esse multis per comparationem simplicem, ut jam probatum est.

Inst. Atqui natura abstracta à singularibus est universalis formaliter: ergo nulla solutio. Prob. subs. Posito fundamento resultat relatio: atqui natura abstracta est fundamentum relationis; ergo natura abstracta habet relationem ad multa, & proinde est universalis formaliter.

Resp. neg. subs. ad cujus prob. neg. maj. Quia ut resultet relatio non solum requiritur fundamentum, sed etiam terminus. Relatio enim est ordo fundamenti ad terminum: relatio universalitatis est ordo naturæ ad sua inferiora. Unde natura non potest dici universalis, nisi concipiantur inferiora.

Obj. 3. Si natura existeret separata à singularibus, ut volebant Platonici esset formaliter universalis; ergo natura separata à singularibus per præcisionem intellectus patibilis est formaliter universalis.

Resp. 1. neg. ant. Quia quamvis admitterentur illæ ideæ Platonicæ, non tamen essent universales in essendo, quia de facto non essent in multis, sed tantum essent universa-

les in causando & in repræsentando.

Resp. 2. neg. conf. Quia si natura esset realiter separata ab individuis juxta sententiam Platonicorum. Illa natura habuisset ordinem realem ; & prædicamentalem ad multa per quem fuisset formaliter universalis, sed quia natura ex nostra sententia debet abstrahi per intellectum, ut fiat universalis, ideo debet recipere per intellectum talem relationem ad multa.

Obj. ultimo. Ut natura sit universalis non debet comparari actu ad multa, sed sufficit ut sit comparabilis, cum universale definiatur unum aptum inesse multis,&cum *verba in definitionibus posita non dicant actum, sed aptitudinem*; ergo natura abstracta est universalis.

Resp. disting. ant. ut natura sit universalis Metaphysicè sufficit, ut sit comparabilis ad multa conc. ut sit universalis Logicè neg. Quia ut natura sit universalis Metaphysicè sufficit, ut sit abstracta à multis, ut jam dictum fuit, quando verò dicitur, quod *verba in definitionibus posita non dicunt actum, sed aptitudinem.* Illud est intelligendnm de illis in quibus actus non est de essentia, & cum actus sit de essentia universalis, non sufficit ut sit comparabilis ad multa, sed debet actu comparari.



ARTICULUS ULTIMUS.

Quotuplex sit universale.

NOtandum est, quod aliquid est prædicabile, vel in quid, vel in quale, vel in quale quid. Illud dicitur prædicari in quid, quando illud quod est prædicabile est essentiale illi de quo est prædicabile, ut quando dicitur *Petrus est homo.* Homo enim est aliquid essentiale Petro, & exprimitur nomine substantivo. Aliquid dicitur prædicari in quale, quando illud quod est prædicabile, est accidentale illi de quo est prædicabile, & exprimitur per modum adjacentis, hoc est nomine adjectivo, ut cum dicitur *homo est albus. Petrus est doctus.* Aliquid denique dicitur prædicari in quale quid quando prædicabile est essentiale illi de quo est prædicabile, & tamen exprimitur nomine adjectivo, ut quando dicitur *Angelus est spiritualis. Homo est rationalis.*

Dicendum est dari tantum quinque universalia. Nempè genus, speciem, differentiam proprium, & accidens.

Prob. Universale est unum aptum inesse multis; ergo tot dantur universalia, quot dantur modi essendi in multis: atqui dantur tantum quinque modi essendi in multis; ergo dantur tantum quinque universalia. Prob. min. Quidquid inest alteri, vel inest

essentialiter, vel accidentaliter: si essentialiter constituuntur tria prima universalia, nempè, genus, species, & differentia: si insit in quid completè constituitur species: si insit in quid incompletè constituitur genus: si insit essentialiter, & exprimatur nomine adjectivo constituitur differentia: si verò insit accidentaliter, constituuntur duo posteriora universalia: si enim insit accidentaliter necessario, constituitur proprium: si verò insit accidentaliter contingenter, constituitur accidens.

Obj. 1. Tot sunt universalia quot sunt diversi modi essendi: atqui tantum sunt duo modi essendi, nempè essentialiter & accidentaliter; ergo tantum dantur duo universalia.


Resp. dist. maj. Sunt tantum duo modi essendi subdivisibiles in alios conc. non subdivisibiles nego. Quia quando modus essendi dividitur in modum essendi essentialiter, & in modum essendi accidentaliter, illa divisio est immediata, non verò ultima, quia modus essendi in quid sive essentialiter dividitur in modum essendi in quid incompletè, & in modum essendi in quid completè. Similiter modus essendi in quale subdividitur, in quale necessario, & in quale contingenter.

Obj. ultimo. Dantur octo modi essendi; ergo dantur octo universalia.

Prob. ant. Ideo in genere & in specie sunt duo modi essendi; quia unum inest pluribus specie differentibus, & aliud inest pluribus numero differentibus: atqui differentia inest pluribus specie & numero differentibus. Sensibile v. g. inest homini & leoni. Rationale

verò ineſt Petro & Paulo. Similiter proprium ineſt pluribus numero & ſpecie differentibus. Siquidem mortale ineſt homini & leoni; Riſibile verò ineſt Petro & Paulo. Similiter dicendum de accidente; ergo cum in genere & in ſpecie ſint duo modi eſſendi, & cum in differentia, proprio, & accidente ſint ſex modi eſſendi, dantur octo modi eſſendi.

Reſp. neg. ant. ad cujus proba. neg. maj. Quia genus & ſpecies non ideo conſtituunt duo univerſalia, quia unum ineſt pluribus numero vel ſpecie differentibus, ſed quia unum ineſt in quid incompletè, & aliud in quid completè, & ita licet differentia, proprium & accidens inſint pluribus numero vel ſpecie differentibus, non conſtituunt ſex univerſalia, quia ſemper inſunt eodem modo, nempè vel in quale quid, vel in quale neceſſario, vel in quale contingenter.





QUÆSTIO II.

De Vniversalibus in particulari.

EXPLICATIS omnibus quæ ad naturam & divisionem universalium spectant : nunc in quinque articulis quinque universalia seorsim & in particulari explicabuntur.



ARTICULUS I.

De Genere.

NOtandum est, quod genus multipliciter sumitur. 1. Pro gente & familiâ sic dicimus Borboniorum genus. 2. Sumitur pro gentis principio, sive illud principium sit parens, sive patria, sic dicimus Orestem duxisse genus à Tantalo, & Platonem esse genere Atheniensem. 3. Sumitur pro eo cui subjicitur species, & secundum illam formalitatem ibi usurpatur à nobis, & circa genus

ſic conſideratum quatuor breviter in iſto articulo quæruntur. 1. Definitio. 2. Diviſio. 3. Quomodo genus prædicetur. 4. Utrum genus poſſit ſalvari in unica ſpecie.

Dicendum eſt 1. Genus definiri unum aptum ineſſe multis, & prædicari de multis ſpecie diverſis in quid incompletè.

Prob. Illa definitio explicat totam eſſentiam generis; ergo illa definitio eſt bona.

Prob. ant. Primo explicat illud per quod genus convenit cum aliis univerſalibus, cum dicitur unum aptum ineſſe & prædicari de multis, quia idem convenit cuilibet univerſali. 2. Explicat illud per quod differt ab aliis univerſalibus, cum dicitur prædicari in quid incompletè; differt quidem à ſpecie quæ prædicatur in quid completè, differt à differentia quæ prædicatur in quale quid, differt à proprio & accidente quæ prædicantur vel in quale neceſſario, vel in quale contingenter; ergo illa definitio explicat totam eſſentiam generis.

Obj. Quidquid definitur debet eſſe ſpecies, quia quidquid definitur debet conſtare genere & differentia; ſed genus non poteſt eſſe ſpecies; ergo non poteſt definiri.

Reſp. diſt. min. Genus ſecundum ſe conſideratum, & in quantum abſtrahit ab omni definitione, non eſt ſpecies conc. genus in quantum definitur, non eſt ſpecies nego, quia in quantum genus eſt illud quod definitur, tunc eſt vera ſpecies univerſalis. Unde ſequitur quod univerſale in communi eſt genus reſpectu quinque univerſalium in particulari, quia illud eſt genus quod prædicatur

de plurimis ſpecie differentibus: atqui univerſale in cõmuni prædicatur de plurimis ſpecie differentibus, nempe de quinque univerſalibus in particulari quæ ſpecie differunt; ergo univerſale in communi eſt genus ad quinque univerſalia in particulari.

Inſt. genus debet univocè id eſt æqualiter & ſecundum eandem rationem convenire ſuis ſpeciebus & ab illis participari; ſed univerſale in communi non convenit æqualiter univerſalibus in particulari ſcilicet generi, ſpeciei, differentiæ, proprio, & accidenti; ergo univerſale in communi non eſt genus reſpectu quinque univerſalium in particulari. Prob. min. univerſale in communi non convenit univocè & æqualiter univerſalibus in particulari, ſi modo perfectiori conveniat uni quam alteri: atqui univerſale in communi convenit modo perfectiori uni quam alteri; ergo non convenit univocè & æqualiter univerſalibus in particulari. Prob. min. quod convenit uni ut tota eſſentia, & alteri ut pars eſſentiæ, convenit uni perfectiori modo, quam alteri: atqui univerſale in communi cõvenit ſpeciei ut tota eſſentia, convenit generi & differentiæ ut pars eſſentiæ; ergo univerſale in communi convenit uni perfectiori modo quam alteri.

Reſp. neg. min. ad cujus prob. diſt. maj. ſi perfectiori modo conveniat uni quam alteri Logicè con. Phyſicè neg. vel ſi perfectiori modo conveniat ex parte generis con. ex parte differentiæ nego. Quia univerſale in communi & in ſuo conceptu eſſentiali habet tantum quod ſit unum aptum ineſſe multis,

abstrahendo quod sit in multis tali vel tali modo id est, vel ut tota essentia, vel ut pars essentiæ, vel ut accidens, sicut animal habet tantum in suo conceptu essentiali, quod sit vivens, sensitivum, & quatenus vivens sensitivum participatur æqualiter ab homine & à Leone quamvis per differentias inæquales scilicet per rationale & irrationale contrahatur, & perfectiori modo sit in homine quam in Leone: non quidem quod ille modus perfectior qui est in homine, se teneat ex parte generis, sed tantum ex parte differentiæ nempè rationalitatis. Ita licet universale in communi participetur perfectiori modo ab uno quam ab alio, illud non se tenet ex parte generis, sed tantum ex parte differentiæ.

Dicendum est 2. Genus dupliciter dividi. 1. Dividitur in genus supremum, subalternum & infimum. Genus supremum est illud quod non habet aliud genus supra se, sed habet infra se. Sicuti est substantia quæ nullum habet genus supra se, sed habet intra se scilicet corpus & vivens. Genus subalternum est illud quod habet supra se & infra se genus, ut est vivens quod habet supra se corpus & infra se animal. Genus infimum est illud quod habet supra se genus, non vero infra se ut est animal quod habet supra se vivens & infra se habet tantum speciem, non vero genus.

2. Genus dividitur. In remotum & proximum. Genus remotum est illud inter quod & speciem mediat aliud genus, ita vivens est genus remotum hominis, quia inter vivens & hominem mediat animal. Genus proxi-

mum eſt illud inter quod & ſpeciem nullum aliud eſt genus. Sic animal eſt genus proximum hominis quia inter animal & hominem nullum genus mediat.

Dicendum eſt 3. Genus prædicari de ſuis inferioribus ut totum potentiale.

Prob. prædicari ut totum potentiale eſt dicere & ſignificare implicitè & confusè quidquid eſt in inferioribus: atqui genus implicitè & confusè ſignificat quidquid eſt in inferioribus quia eſt una & eadem entitas cum illis omnibus v. g. animal eſt idem cum homine, Leone, & equo; ergo genus prædicatur de ſuis inferioribus ut totum potentiale.

Obj. genus prædicatur in quid incompletè: ſed quod prædicatur in quid incompletè prædicatur, ut pars, non vero ut totum; ergo genus non predicatur ut totum potentiale.

Reſp. diſt. Maj. genus prædicatur in quid incompletè ex parte rei ſignificatæ & explicitè con. ex parte modi ſignificandi & implicitè nego. Quia in quantum genus clarè & explicitè ſignificat partem aliquam quâ conſtituitur compoſitum Metaphyſicum, ſic prædicatur ut pars, ſed quia ſignificat implicitè & confuſe quidquid eſt in ſuis inferioribus, ſic implicitè & ex parte modi ſignificandi, prædicatur ut totum potentiale.

Dicendum eſt 4. Genus Metaphyſicè ſumptum non poſſe conſervari in vnica ſpecie.

Prob. genus Metaphyſicè ſumptum eſt totum potentiale, ſeu gradus eſſentialiter determinabilis & perfectibilis per differentias inferiores: ergo non intelligitur perfectè ſalvari

vari & satiari, nisi perficiatur per illas omnes differentias: atqui animal v. g. non perficitur in una specie, nisi per unam differentiã, putà per rationale in homine: ergo in vnica specie non perfectè salvatur genus. Præterea nullum videtur genus in tota natura, quod unicam tantum speciem habeat, & sunt tamen plurimæ species habentes unicum individuum v. g. Sol, Luna, & quælibet natura specifica angelica; ergo genus non potest conservari in unicâ specie.

Obj. post resurrectionem erit unica species animalis, & aliæ erunt impossibiles, & tamen animal, quod tunc erit in homine, habebit rationem generis; ergo genus potest conservari in unica specie. Prob. ant. tota natura generis erit in homine; ergo animal tunc in homine existens erit genus.

Resp. 1. Quod in illo casu erit quidem unica species, sed tamen per omnipotentiam divinam plurimæ aliæ erunt possibiles, & proinde animal erit genus per ordinem quem dicet ad illas species possibiles.

Resp. 2. Quod etiam in suppositione, aliæ species essent impossibiles neg. ant. ad cujus proba. dist. aliud ant. tota natura generis reperitur in unica specie secundum entitatem con. secundum rationem naturæ communis & genericæ neg. quia quidquid entitatis animal exprimit, reperitur in unica specie. Animal enim exprimit vivens, sensitivum: sed homo tunc erit vivens, sensitivũ; ergo habebit totam entitatem quæ exprimitur per animal, sed illa entitas non habebit rationem generis, quia non potest contrahi & perfici per

M

multa, cum multa ſupponantur impoſſibilia.

Inſt. in prædicta ſuppoſitione homo haberet genus & differentiam, quia eſſet in prædicamento: ſed homo non haberet aliud genus quam animal, & aliam differentiam quam rationale; ergo in prædicta ſuppoſitionæ animal eſſet genus.

Reſp. neg. min. quia illud genus non eſſet animal, ſed eſſet, vel vivens, vel corpus vel ſubſtantia.



ARTICULUS II.
De Specie.

NOtandum eſt, quod ſpecies multipliciter ſumitur 1. Pro vultu & pulchritudine. Ideo Chriſtus dicitur in ſcripturis *formoſus ſpecie præ filiis hominum* 2. Sumitur pro apparentia, ita hypocriſis dicitur pietas ſpecie tenus. 3. Sumitur pro congerie accidentium ſenſibilium. Sic accidentia Euchariſtica vocantur ſpecies ſacramentales. 4. Sumitur pro eo quod immediatè ſubjacet generi, & de quo genus immediatè prædicatur, & vocatur ſpecies ſubjicibilis cujuſmodi eſt animal quatenus ſubjicitur viventi 5. Sumitur pro ſpecie prædicabili quæ eſt ſecundum vniverſale. Agitur in iſto articulo de ſpecie ſubjicibili & prædicabili. Queritur ergo primo de ſpecie ſubjicibili utrum ſit univerſalis ut eſt ſubjicibilis. 2. De ſpecie prædicabili quaritur quomodo definiatur. 3. Quomodo di-

vidatur 4. Utrum species possit conservari in uno individuo & quia species prædicatur de individuis 5. Quædam de individuo dicentur.

Dicendum est 1. Speciem subjicibilem quatenus subjicibilem non esse universalem.

Prob. species est tantum uuniversalis sub eo respectu sub quo respicit inferiora quibus potest inesse & de quibus potest prædicari: atqui species subjicibilis non respicit inferiora quibus inesse possit, sed tantum respicit superiora quibus subjacet; ergo species subjicibilis quatenus subjicibilis non est universalis.

Obj. 1. Ut species dicatur universalis subjicibilis, sufficit ut respiciat plura superiora: atqui species subjicibilis quatenus subjicibilis respicit plura superiora, sic animal respicit vivens, corpus; ergo species subjicibilis est saltem universalis subjicibilis. Prob. mai. ut species sit universalis prædicabilis, sufficit ut respiciat plura inferiora; ergo ut sit uniuersalis prædicabilis, sufficit ut respiciat plura superiora.

Resp. neg. maj. propter plurimas rationes. 1. Quia nullum est universale subjicibile; siquidem omne universale est superius: sed quod est subjicibile est inferius, non vero superius; ergo nullum est universale subjicibile 2. Si daretur universale subjicibile, individuum esset illo modo universale, quia individuum subjacet speciei: sed individuum non potest esse universale; ergo non potest dari universale subjicibile.

Obj. 2. Species ut species est universalis:

ſed ſpecies ut ſpecies eſt ſubjicibilis; ergo ſpecies ut ſubjicibilis eſt univerſalis.

Reſp. neg. maj. quia ſpecies conſtituitur in ratione ſpecici per ordinem ad genus, in ratione autem univerſalis per ordinem ad individua: ſed ſpecies per ordinem ad genus, non eſt univerſalis; ergo ſpecies ut ſpecies non eſt univerſalis.

Inſt. genus ut genus eſt univerſale; ergo ſpecies ut ſpecies eſt univerſalis.

Reſp. neg. conſ. & parit. Ratio diſparitatis eſt quia genus quatenus genus, conſtituitur per ordinem ad inferiora, & ita genus ut genus poteſt eſſe univerſale, ſed ſpecies quatenus ſpecies conſtituitur per ordinem ad ſuperiora, & per talem ordinem non poteſt dici univerſalis.

Inſt. iterum, ſpecies ut ſpecies non eſt ſingularis; ergo eſt univerſalis.

Reſp. diſt. conſ. eſt univerſalis materialiter & fundamentaliter con. formaliter nego quia ſpecies poteſt recipere univerſalitatem, quatenus poteſt conſiderari per ordinem ad inferiora.

Dicendum eſt 2. Speciem prædicabilem definiri à Prophirio unum aptum ineſſe, & prædicari de multis numero diverſis in quid complete. Quæ deffinitio optima eſt cum per vocabula contenta in definitione, ſpecies conveniat cum aliis univerſalibus, & differat ab illis, ut conſideranti patebit.

Obj. natura divina prædicatur de tribus numero diverſis, & tamen non eſt ſpecies; ergo falſum eſt quod ſpecies ſit unum aptum ineſſe multis numero diverſis.

Resp. dist. ant. natura divina prædicatur de tribus numero diversis relativè con. simpliciter & absolutè neg. quia ideo natura divina non est species, quia non prædicatur de tribus simpliciter diversis, tres enim personæ non differunt in natura, sed solum in relatione & supposito.

Dicendum est tertio speciem multipliciter dividi 1. Dividitur in subjicibilem & prædicabilem de quibus supra 2. Dividitur in subalternam & infimam. Species subalterna est ea quæ ita est species respectu superioris ut sit genus respectu inferiorum. Sic animal est species subalterna; quia animal ita est species respectu viventis, ut sit genus respectu hominis & bruti. Species infima est ea quæ ita est species respectu superioris ut sit quoque species respectu inferioris. Sic albedo ita est species respectu coloris ut sit etiam species respectu hujus & illius albedinis.

Dicendum est quarto. Speciem conservari in unico individuo.

Prob. speciem conservari in unico individuo est naturam habentem unicum individuum posse dici naturam specificam: atqui natura habens unicum individuum potest dici natura specifica; ergo species conservatur in unico individuo. Prob. min. tota species est in unico individuo; ergo natura habens unicum individuum, potest dici natura specifica. Prob. ant. quod dicit aliquid actuale, ex genere & differentia constans, potest esse in unico individuo: atqui species dicit aliquid actuale constans genere & differentia;

ergo species potest esse in unico individuo.

Dicendum est quinto & ultimo, individuum definiri à Porphirio illud quod de uno solum prædicatur. Quæ definitio optima est ut patet.

Obj. Petrus prædicatur de pluribus nam v. g. dicitur, hic homo est Petrus, ille homo est Petrus; ergo individuum prædicatur de pluribus & consequenter bona non est definitio tradita.

Resp. dist. ant. Petrus prædicatur de pluribus quoad nomen con. quoad rem significatam nego. Quia tria in individuo sunt distinguenda nempè nomen, individualitas, & natura affecta individualitate. Quando vero definitur individuum intelligenda est definitio de natura affecta individualitate, quæ de uno tantum prædicatur, non vero de nomine, quia constat quod nomen v. g. Petrus prædicatur de pluribus, quatenus pluribus imponitur.



ARTICULUS III.

De Differentia.

NOtandum est. Quod differentia sumitur tripliciter, vel ut est differentia communis, vel ut est differentia propria, vel ut est differentia maximè propria. Differentia communis est quando aliquid differt ab alio per aliquod accidens commune, sic gallus

& Hispanus differunt, sic æger & sanus differunt. Differentia propria est quando aliquid differt ab alio per aliquod accidens proprium, sic homo differt ab equo per risibile differentia maxime propria est quando unum differt ab alio per aliquid quod est essentiale & constitutivum rei, ita rationale est differentia maximè propria, & de illa differentia ibi agitur de qua tria quæruntur 1. Quæritur quid sit differentia 2. Quomodo dividatur 3. quomodo differentia inferior includat superiorem.

Dicendum est 1. Differentiam definiri à Porphirio unum aptum inesse & prædicari de multis specie vel numero differentibus inquale quid incompleté. Hæc definitio optima est, cum per vocabula in ipsa definitione contenta, differentia conveniat cum aliis universalibus, & differat ab illis.

Dicendum est 2. Differentiam dividi dupliciter 1. Dividitur in genericam & specificam. Differentia generica est illa quæ prædicatur de plurimis specie diversis. Sic sensibile prædicatur de homine & equo. Differentia specifica est illa quæ prædicatur de pluribus numero diversis, ut rationale prædicatur de Petro & Paulo. Differentia generica dicitur alio modo differentia superior, specifica vero differentia inferior 2. Dividitur sicuti dictum fuit de genere in supremam mediam & infimam. Differentia suprema est illa quæ habet infra se aliam differentiam non vero supra se ut sunt corporeum & incorporeũ. Differentia media est illa quæ habet supra & infra se aliam differentiam, ut sunt ani-

matum & inanimatum. Differentia infima est illa quæ habet supra se non vero infra se aliam differentiam ut sunt rationale & irrationale.

Dicendum est 3. Differentiam inferiorem non includere formaliter superiorem v. g. rationale non includere formaliter sensibile.

Prob. differentia inferior potest concipi sine superiori; ergo differentia inferior non includit formaliter superiorem. Prob. ant. quod distinguitur virtualiter ab alio, potest concipi sine illo: atqui differentia inferior distinguitur virtualiter à superiori; ergo differentia inferior potest concipi sine superiori. Prob. min. illud virtualiter distinguitur ab alio, quod est idem cum illo, & tamen exprimimitur diverso nomine, & fungitur diverso munere: atqui differentia inferior est idem realiter cum differentia superiori, & tamen exprimitur diverso nomine; quando quidem nomen rationalitatis diversum est à nomine sensibilitatis, fungitur quoque diverso munere; siquidem rationalitas constituit speciem scilicet hominem, & sensibilitas constituit genus nempè animal; ergo differentia inferior distinguitur virtualiter à differentia superiori.

Obj. 1. Differentia inferior & differentia superior uniuntur formaliter inter se, si uniantur formaliter cum uno tertio juxta commune principium *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*: atqui differentia inferior & superior uniuntur formaliter cum uno tertio ut patet isto sillogismo *omnis homo est sen-*

sibilis : omnis homo est rationalis ; ergo sensibile est rationale, ubi rationale & sensibile, quæ sunt differentia superior & inferior, uniuntur cum uno tertio nempè cum homine; ergo differentia superior & inferior uniuntur formaliter inter se: & proinde differentia inferior includit formaliter superiorem.

Resp. neg. maj. quia non requiritur ut duo extrema uniantur inter se tanta unione quantà uniuntur cum uno tertio, & ita licet uniantur formaliter cum uno tertio, sufficit ut uniantur inter se in sensu identico & materiali. Illud patet isto sillogismo. *Omnis homo est animal : omnis homo est risibilis; ergo omne risibile est animal* siquidem in illo sillogismo præmissæ sunt veræ in sensu formali, nam homo est formaliter animal & homo est formaliter risibilis, tamen conclusio tantum est vera in sensu identico & materiali.

Obj. 2. Et ultimo. Rugibile in Leone est differentia inferior, & sensibile est differentia superior : atqui rugibile includit formaliter sensibile; ergo differentia inferior includit formaliter superiorem. Prob. min. rugitus est formaliter sensatio ; ergo rugitus debet procedere à principio sensitivo : atqui rugitus procedit à rugibili ut est rugibile ; ergo rugibile includit formaliter sensibile.

Resp. neg. min. ad cujus proba disting. maj. rugitus est formaliter sensatio proveniens à principio formali & differentiali Leonis con. proveniens à differentia communi animalis nego. Quia rugitus Leonis provenit tantum ab illo principio per quod Leo constituitur talis ; atqui Leo constituitur talis

per rugibile ; ergo rugitus procedit à rugibili , & ita potest dici quod rugitus præcisè dicit formalitatem à differentia leonis provenientem , & tunc non est formaliter sensatio, sed est differentia sensationis : nam rugitus potest sumi duobus modis , vel ut est genus , vel ut est differentia hoc est , vel ut est sensatio , vel ut est talis sensatio. Ut est sentio provenit à principio sensibili. Ut est talis sensatio provenit à rugibili.



ARTICULUS IV.
De Proprio.

Notandum est proprium sumi quadruplici modo. 1. Pro illo quod convenit Soli, & non omni, neque semper v.g. homini esse Philosophum. 2. Pro illo quod convenit omni, sed non Soli v. g. convenit homini quod sit bipes. 3. Pro illo quod convenit Soli & omni, sed non semper. v. g. homini canescere. 4. Denique pro illo quod convenit Soli, omni , & semper v. g. risibile semper convenit omni homini & Soli homini. De illo proprio quarto modo ibi agitur.

Dicendum est 1. Proprium quarto modo sumptum definiri à Porphirio unum aptum inesse & prædicari de multis specie , vel numero differentibus in quale necessario. Quæ definitio optima est, cum proprium habeat aliquid per quod conveniat cum aliis universalibus , & per quod differat ab illis.

Dicendum est 2. & ultimo. Proprium constitui formaliter quartum universale per ordinem ad inferiora illius speciei cujus est proprium.

Prob. Proprium non constituitur universale per ordinem ad speciem cujus est proprium, neque per ordinem ad inferiora sibi propria; ergo constituitur tantum universale per ordinem ad inferiora speciei cujus est proprium. Prob. ant. quoad omnes partes. Proprium non constituitur universale per ordinem ad speciem, quia illa species est tantum una, & ita per illum ordinem, proprium constituitur tantum inesse proprii, non vero in esse universalis. Proprium etiam non constituitur universale per ordinem ad inferiora sibi propria, quia per illum ordinem non fit unum aptum inesse & prædicari de multis in quale necessario; siquidem illis inest & prædicatur in quid completè sicut species de individuis; ergo proprium constituitur tantum universale per ordinem ad inferiora speciei.



ARTICULUS V. & Ultimus.

De Accidente.

NOtandum est accidens commune esse duplex, Physicum scilicet & Logicum. Accidens Physicum sive prædicamentale est omne illud quod verè & propriè non est sub-

stantia, sive realiter possit à subjecto separari ut albedo à pariete, sive non possit ut nigredo à Corvo, albedo à nive, & illud accidens Physicum definitur ens in alio. Accidens Logicum est illud omne quod non est de essentia rei, nec est propria passio sive sit aliquid substantiale, sive non, & dicitur accidens prædicabile, de quo ibi agitur.

Dicendum est 1. Accidens definiri à Porphirio unum aptum inesse & prædicari de multis specie, vel numero differentibus in quale contingenter. Definitur etiam illud quod potest adesse & abesse à subjecto sine subjecti corruptione.

Prob. & explicatur talis definitio quæ constat genere & differentia. Accidens enim convenit cum aliis universalibus in quantum est unum aptum inesse & prædicari de multis. Differt verò ab aliis universalibus, in quantum dicitur prædicari de multis in quale contingenter: accidens autem constituitur quintum universale per ordinem quem dicit ad subjecta quibus inest v. g. albedo ordinatur ad nivem, parietem, & hujusmodi. Non autem constituitur quintum universale per ordinem quem dicit ad propria inferiora v. g. color ordinatur ad albedinem & nigredinem, sed de illis prædicatur in quid sive essentialiter. Ex his omnibus constat accidens posse abesse & adesse subjecto sine subjecti corruptione, quod est intelligendum Logicè, sive per affirmationem vel negationem.

Obj. 1. Proprium potest abesse à subjecto sine subjecti corruptione, quia potest concipi essentia, quin concipiatur proprium; ergo definitio

definitio accidentis potest convenire proprio, & proinde illa definitio non est bona.

Resp. disting. ant. Proprium potest abesse à subjecto negativè conc. positivè neg. Quia possumus dicere hominem non esse risibilem essentialiter, non tamen possumus ei tribuere contrarium, non enim possumus dicere hominem esse rugibilem, bene tamen possumus dicere hominem esse album vel nigrum, quod est abesse positivè.

Obj. 2. Nigredo non potest negari de Corvo; ergo nigredo non potest abesse à Corvo sine subjecti destructione. Prob. ant. nigredo non potest negari de Corvo, si ista propositio *Corvus non est niger*, non sit vera: atqui illa propositio non est vera; ergo nigredo non potest negari de Corvo.

Resp. conc. ant. ad cujus prob. disting. min. Illa propositio *Corvus non est niger* simpliciter & absolutè, non est vera conc. ista propositio cum addito, hoc est si addatur Corvus non est niger secundum essentiam, non est vera neg. Quia si addatur una ex illis particulis, secundum se, essentialiter, vel salva ejus essentia, illa propositio est vera.

Obj. ultimo. Existentia quæ est aliquod accidens prædicabile non potest sine subjecti destructione abesse, quia destrui est amittere existentiam; ergo accidens non potest abesse à subjecto sine subjecti destructione.

Resp. disting. ant. Existentia non potest abesse à subjecto Physicè, & primo intentionaliter sine subjecti corruptione conc. non potest abesse Logicè & secundo intentionaliter neg. Quia non destruitur essentia, quam-

vis non concipiatur existentia. Idem dicendum de morte & combustione quæ possunt adesse homini salva ejus essentia; itaut quamvis dicatur *Homo est mortuus*, non sequitur quod homo desinat esse animal rationale.



TRACTATUS
SECUNDUS.
De Prædicamentis.



LURES complectetur quæstiones iste Tractatus, in quibus agetur de Prædicamentis in communi, de Prædicamentis in particulari, & de postprædicamentis.



QUÆSTIO I.
De Prædicamentis in communi.

QUATUOR complectetur articulos ista quæstio. In primo quæretur quid & quotuplex sit prædicamentum. In secundo quot sunt conditiones ne-

ceſſario requiſitæ , ut aliquid ponatur in prædicamento. In tertio utrum Deus ponatur in aliquo prædicamento. In quarto utrum Chriſtus ponatur.



ARTICULUS I.

Quid & quotuplex ſit prædicamentum.

DIcendum eſt 1. Prædicamentum eſſe ordinem ſive diſpoſitionem Prædicatorum ſuperiorum & inferiorum ab uno ſupremo ordine uſque ad individuum.

Prob. & explicatur talis definitio. Illa varia prædicamentorum diſtinctio adinventa eſt ab Ariſtotele, ut diverſæ omnium rerum naturæ facilius cognoſcerentur, quare illa prædicata ſuperiora ſive magis univerſalia, & prædicata inferiora, ſive minus univerſalia dicuntur gradus, quia per illa prædicata quaſi per gradus aſcendimus ad pleniorem notitiam alicujus rei v. g. ut cognoſcatur Petrus, 1. Cognoſcendum eſt quid ſit homo. 2. Quid ſit animal. 3. Quid ſit vivens. 4. Quid ſit corpus. 5. Denique quid ſit ſubſtantia; ergo prædicamentum rectè definitur ordo & ſeries Prædicatorum ſuperiorum & inferiorum ab uno ſupremo ordine uſque ad individuum.

Dicendum eſt 2. & ultimo. Dari decem prædicamenta nempè ſubſtantiam, quantitatem, qualitatem, relationem, actionem, paſ-

ſionem, ubi, quandò, ſitum, & habitum.

Prob. & expli. talis diviſio. Tot dantur prædicamenta, quot dantur diverſi ordines prædicatorum: atqui dantur tantum decem ordines; ergo dantur tantum decem prædicamenta. Prob. min. Alia ſunt prædicata quæ pertinent ad eſſentiam alicujus individui, ut cum dicitur Petrus eſt homo, Petrus eſt animal. Series autem hujuſmodi Prædicatorum conſtituit primum prædicamentum ſubſtantiæ. Alia ſunt prædicata quæ ſunt extra eſſentiam & illa ſunt, vel purè abſoluta, vel purè relativa, vel partim abſoluta, & partim relativa. Prædicata purè abſoluta quæ ſequuntur ad materiam, conſtituunt prædicamentum quantitatis. Prædicata abſoluta quæ ſequuntur ad formam, conſtituunt prædicamentum qualitatis. Prædicata relativa conſtituunt prædicamentum relationis. Prædicata autem partim abſoluta & partim relativa. Si connotent principium activum, conſtituunt prædicamentum actionis: ſi connotent principium paſſivum, conſtituunt prædicamentum paſſionis: ſi connotent menſuram aliquam ambientem corpus, conſtituunt prædicamentum ubi: ſi connotent menſuram aliquam ambientem corpus cum aliquo modo, conſtituunt prædicamentum ſitus: ſi connotent menſuram durationis, conſtituunt prædicamentum quando: ſi denique connotent aliquod tegumentum vel ornatum corporis, conſtituunt prædicamentum habitus: atqui præter ordinem illorum Prædicatorum, non poteſt aſſignari alius ordo; ergo dantur tantum decem ordines, & proinde dantur tantum decem prædicamenta.



ARTICULUS II.

De conditionibus requisitis ut aliquid ponatur in prædicamento.

DIcendum est quinque requiri conditiones, ut aliquid ponatur in prædicamento.

Prima conditio est ut sit ens reale. Unde excluditur ens rationis.

Secunda conditio est ut sit ens per se hoc est, ut non sit ens compositum ex rebus diversorum prædicamentorum v. g. homo albus, & etiam ut non sit ens compositum ex diversis rebus completis ut est acervus tritici : unde excluduntur entia per accidens.

Tertia conditio est. Ut sit ens completum hoc est ut habeat naturam completam & perfectam, constantem sua essentia & existentia. Unde excluduntur partes tam Physicæ, ut materia & forma, quam Metaphysicæ, ut animal & rationale & alia hujusmodi. Quæ omnia reductivè tantum ponuntur in prædicamento.

Quarta conditio est ut sit ens finitum, sive limitatum certo genere, & certa differentia. Unde excluduntur entia infinita secundum essentiam, qualis est Deus qui continet perfectiones omnium generum & omnium differentiarum, nec limitatur ad aliquod genus.

Quinta conditio est. Ut sit ens univocum

sive unius naturæ perfectè præcisæ à suis inferioribus.



ARTICULUS III.

Vtrum Deus ingrediatur aliquod prædicamentum.

NOtandum est quod aliquid potest poni in prædicamento quatuor modis scilicet directè, indirectè, reductivè & participativè. Illa directè ponuntur quæ sunt genera species & individua. Illa indirectè ponuntur quæ sunt differentiæ constitutivæ vel divisivæ. Illa reductivè ponuntur quæ sunt partes vel modi rei, quæ directè ponitur, ut punctum reductivè ponitur in prædicamento quantitatis, quia est unio, modus, vel terminus quantitatis. Illud denique ponitur participativè, quod per se non ponitur, sed per aliquid quod est quædam illius participatio, & ita potest dici, quod Deus ponitur in prædicamento participativè, quia creaturæ quæ sunt participationes Dei, directè ponuntur in prædicamento. Deus autem non potest poni indirectè, quia non est differentia alicujus entis: non potest poni reductivè, quia non est pars aut modus alicujus. Non ponitur etiam directè. Quare.

Dicendum est Deum Optimum Maximum non posse ingredi aliquod ex decem prædicamentis.

Prob. Illud nullomodo poteſt poni in prædicamento, quod non poteſt dici ſupremum genus, neque aliquid contentum ſub ſupremo genere, vel tanquam ſpecies, vel tanquam individuum: atqui Deus non eſt ſupremum genus, neque aliquid contentum ſub ſupremo genere, vel tanquam ſpecies, vel tanquam individuum; ergo Deus nullomodo poteſt poni in prædicamento. Prob. min. quoad omnes partes.

Primò, Deus non eſt ſupremum genus, quia inde ſequeretur quod darentur plures Dij: atqui illud non poteſt dici; ergo nec aliud. Prob. ſequela maj. Si Deus eſſet ſupremum genus, haberet plura inferiora ſub ſe contenta tanquam ſub ſupremo genere; ſed illa inferiora contenta ſub Deo tanquam ſub ſupremo genere, eſſent Dij, quia participarent naturam Dei infinitam; ergo ſi Deus eſſet ſupremum genus, eſſent plures Dij.

Secundò, Deus non poteſt eſſe, neque ſpecies, neque individuum, quia omnis ſpecies & omne individuum eſt aliquid compoſitum ex genere & differentia: atqui Deus non poteſt conſtare ex genere & differentia; ergo non poteſt dici ſpecies, neque individuum. Prob. min. Omnis compoſitio ex genere & differentia includit aliquid potentiale nempè genus: atqui Deus non poteſt includere aliquid potentiale; ergo Deus non poteſt includere compoſitionem ex genere & differentia. Prob. min. Actus puriſſimus & ſimpliciſſimus, qualis eſt Deus, excludit omnem omnino potentialitatem; ergo Deus non poteſt includere aliquid potentiale & proinde Deus

non poteſt poni in prædicamento, neque tanquam ſupremum genus, neque tanquam ſpecies, neque tanquam individuum.

Obj. 1. Ariſtoteles dividendo ſubſtantiam in mobilem & in immobilem, ſub immobili ponit Deum; ergo Deus ponitur in prædicamento ſubſtantiæ.

Reſp. diſt. ant. Ariſtoteles ponit Deum ſub ſubſtantiâ immobili, quæ continet omnem perfectionem & excludit omnem omninò potentialitatem conc. ſub ſubſtantiâ immobili quæ ſit genus neg. quia Deus non poteſt eſſe genus, neque ſpecies propter rationem jam allatam in concluſione.

Obj. 2. Sanctus Thomas quæſtione 7. de de potentiâ art. 3. ad Tertium. Dicit *Deum eſſe reductivè in prædicamento ſubſtantiæ ut principium illius*; ergo ex mente ſancti Thomæ Deus ſaltem reductivè ponitur in prædicamento.

Reſp. diſt. ant. Deus eſt in prædicamento ſubſtantiæ, ut principium continens ipſum prædicamentum & illud ſupereminens conc. ut principium ſub ipſo prædicamento contentum neg. ratio patet ex dictis.

Obj. 3. Sanctus Auguſtinus 5. de Trinitate. Cap. 8. ait duo prædicamenta, ſubſtantiæ ſcilicet & relationis dici propriè de Deo; ergo Deus ponitur in aliquo prædicamento.

Reſp. diſt. Auctoritatem ſancti Auguſtini. Duo prædicamenta dicuntur de Deo ſecundum ſuas rationes formales conc. ſecundum quod limitata ſunt ad aliquod genus neg. quia ſubſtantia & relatio dicunt duo. 1. Subſtantia ſecundum ſe præcisè ſumpta eſt ens per ſe &

non in alio. 2. Est aliquid limitatum ad genus: similiter relatio dicit duo. 1. Relatio dicit esse ad aliud. 2. Dicit aliquid limitatum ad aliquod genus, & ita illa duo prædicamenta dicũtur de Deo tantùm secundũ primã rationẽ.

Obj. 4. Definitio substantiæ convenit Deo; ergo Deus est substantia, & proinde ponitur in prædicamento substantiæ. Prob. ant. Substantia definitur ens per se subsistens: sed Deus est ens per se subsistens; ergo definitio substantiæ convenit Deo.

Resp. 1. neg. ant. ad cujus prob. disting. min. Deus est ens per se subsistens, modo creaturis analogo conced. modo creaturis univoco nego. Quia Deus & creaturæ non sunt entia per se subsistentia eodem modo; Deus enim subsistit per existentiam ab essentiâ indistinctam. Creaturæ verò subsistunt per existentiam ab essentiâ distinctam: eâdem distinctione respondendum huic argumento in quo dicitur quòd Deus continetur sub spiritu tanquam sub genere, quia spiritus prædicatur in quid de multis specie differentibus, nempè de Deo & Angelis; non quidem univocè, sed tantùm anologicè. Quia Deus est spiritus independenter ab alio; Angelus verò est spiritus dependenter à Deo.

Resp. 2. dist. ant. Deus est substantia infinita conc. finita neg. quia Deus complectitur perfectiones omnium generum, & omnium differentiarum, & ita Deus est substantia infinita secundum essentiam, & proindè non potest poni in prædicamento.

Inst. Infinitas non impedit quin Deus ponatur in prædicamento; ergo licet Deus sit

ſubſtantia infinita, ponitur in prædicamento. Prob. ant. Si daretur linea infinitè extenſa (inquit Ariſtoteles) poneretur in prædicamento; ergo infinitas non impedit quin aliquid ponatur in prædicamento.

Reſp. neg. ant. ad cujus proba. diſting. ulti. conſeq. Infinitas ſecundum quid, ſive ſecundum aliquod accidens non impedit quin aliquid ponatur in prædicamento con. infinitas ſimpliciter & ſecundum eſſentiam nego. Quia ſi per impoſſibile daretur linea infinitè extenſa, eſſet tantùm infinita ſecundum quid ſcilicet in extenſione; non autem eſſet infinita ſimpliciter & ſecundum eſſentiam, quia haberet eſſentiam limitatam certo genere, & certâ differentiâ, & ita poneretur in prædicamento. Quia res ponuntur in prædicamento ratione eſſentiæ. Deus verò eſt infinitus ſecundum eſſentiam, & ita in nullo poteſt poni prædicamento.

Obj. 5. & ultimo. Deus ponitur in prædicamento ut ſpecies; ergo Deus ponitur abſolutè in prædicamento. Prob, ant. Illud ponitur ut ſpecies quod poteſt componi ex genere & differentiâ: atqui Deus poteſt componi ex genere & differentiâ; ergo Deus poteſt poni in prædicamento ut ſpecies. Prob.min. Compoſitio ex genere & differentiâ eſt compoſitio rationis: atqui in Deo poteſt eſſe compoſitio rationis; ergo Deus poteſt componi ex genere & differentiâ. Prob. min. In Deo poteſt eſſe compoſitio rationis ſi non repugnet ſummæ Dei ſimplicitati & actualitati: atqui compoſitio rationis non repugnat ſummæ Dei ſimplicitati & actualitati; ergo in Deo poteſt

esse compositio rationis. Prob. min. distinctio rationis non repugnat unitati Dei; ergo compositio rationis non repugnat simplicitati & actualitati Dei.

Resp. neg. ant. ad cujus proba. nego tres min. propositiones, ad quarum proba. nego ult. conseq. & paritatem. Ratio disparitatis est, quia non eodem modo ratiocinandum est de compositione rationis, & de distinctione rationis. Distinctio rationis potest concipi in Deo, quia denotat perfectionem in ipso. Compositio autem rationis non potest concipi in Deo, quia arguit imperfectionem. Distinctio rationis denotat perfectionem in Deo, quia fundatur in eminentia naturæ divinæ, quæ licet sit unica, æquivalet plurimis infinitis perfectionibus. Compositio verò rationis arguit imperfectionem in Deo, quia supponit aliquid potentiale & imperfectum; supponit nempè genus quod est natura potentialis & imperfecta, quæ actuatur & perficitur per differentiam.

Inst. Ubi est distinctio rationis, ibi est compositio rationis; ergo si in Deo sit distinctio rationis, in Deo potest esse compositio rationis. Prob. ant. Compositio rationis est unio distinctorum ratione; ergo ubi est distinctio rationis, ibi potest esse compositio rationis.

Resp. neg. ant. ad cujus prob. disting. aliud ant. Compositio rationis est unio distinctorum quæ se habent per modum potentiæ & actus con. quæ non se habent per modum potentiæ & actus nego. Quia ut aliqua faciant compositionem rationis, non sufficit ut distinguantur, sed etiam requiritur, ut se ha-

beant per modum potentiæ & actus ; hoc eſt ut unum perficiatur ab alio : attributa autem divina non poſſunt ſe habere per modum potentiæ & actus , quia nihil eſt in Deo quod poſſit perfici.



ARTICULUS IV. & Ultimus.

Utrum Chriſtus ponatur in aliquo prædicamento ratione naturæ humanæ.

DIcendum eſt Chriſtum poni in prædicamento ſubſtantiæ ratione naturæ humanæ.

Prob. Quod ponitur ſub aliquo genere ponitur in prædicamento : atqui Chriſtus ratione naturæ humanæ ponitur ſub aliquo genere , nempè ſub eodem genere ſub quo ponuntur cæteri homines;ergo Chriſtus ratione naturæ humanæ ponitur in prædicamento. Prob. min. quod eſt ejuſdem ſpeciei cum cæteris hominibus,ponitur ſub eodem genere: atqui Chriſtus eſt ejuſdem ſpeciei cum cæteris hominibus, quia participat eandem naturam humanam ; ergo Chriſtus ponitur ſub eodem genere ſub quo ponuntur cæteri homines.

Obj. Natura humana Chriſti non eſt completa , quia non habet propriam exiſtentiam; ergo non ponitur in prædicamento.

Reſp.


Resp. dist. ant. Natura humana Christi non est completa in ratione suppositi & existentiæ conc. in ratione naturæ neg. quia ut res ponantur in prædicamento, sufficit, ut sint completæ ratione essentiæ & naturæ, qualis est natura Christi, quæ est completa in ratione naturæ, quia habet illud omne quod requiritur ad rationem naturæ.

Inst. Atqui Natura humana Christi non est completa ratione essentiæ, seu substantiæ: ergo nulla solutio. Prob. subs. Natura humana Christi non est ens per se subsistens; ergo non est completa ratione substantiæ.

Resp. neg. subs. ad cujus prob. dist. ant. Natura humana Christi non est ens per se subsistens per existentiam propriam actu conc. aptitudine nego. quia licet Christus non habeat actu propriam existentiam, habet tamen aptitudine.

Inst. iterum. Impossibile est ut in natura humana Christi resultet existentia creata: ergo natura humana Christi non habet aptitudine existentiam propriam.

Resp. dist. ant. Impossibile est ex suppositione, ut in natura humana Christi resultet existentia creata conc. impossibile est simpliciter & absolutè neg. quia certum est quòd quandiu natura humana Christi subsistet per subsistentiam verbi, subsistentia creata non resultabit; & ita ex illâ suppositione impossibile est quod natura humana Christi subsistat per subsistentiam creatam.



QUÆSTIO II.

De Subſtantiâ.

ISTA quæſtio in quatuor dividetur articulos. In 1. quæretur quænam ſit ratio formalis conſtitutiva ſubſtantiæ. In 2. Quomodo dividatur ſubſtantia. In 3. Quærentur proprietates ſubſtantiæ. In 4. & ultimo, ut melius ſubſtantiæ natura cognoſcatur, quæretur ? quid ſit accidens.



ARTICULUS I.

Quænam ſit ratio formalis conſtitutiva ſubſtantiæ.

NOtandum eſt 1. Aliquid dici ens per ſe tribus modis. 1. Quatenus non eſt ens ab alio , & ita ſolus Deus eſt ens per ſe, 2. Quatenus eſt ens ſimplex & completum , & non compoſitum ex diverſis naturis , & ita exercitus non eſt ens per ſe , ſed tantum per accidens. 3. Quatenus non inhæret neque exiſtit in alio , & ita ſola ſubſtantia eſt ens per ſe.

Notandum eſt 2. Circa hanc quæſtionem

tres esse opiniones. Prima est illorum qui dicunt substãtiam essentialiter constitui per hoc quod substat accidentibus, sive per hoc quod est subjectum & fundamentum accidentium. Secunda est illorũ qui dicunt substantiã essentialiter constitui per hoc quod non sit in alio; unde dicunt rationem formalem constitutivã substantiæ esse negationem essendi in alio. Tertia denique est illorum qui dicunt substantiam essentialiter constitui per hoc quod subsistat per se; quam sententiam sequimur. Ideo

Dicendum est perseitatem aptitudinalem esse rationem formalẽ constitutivam substãtiæ.


Prob. Per illud substantia constituitur, per quod definitur: atqui substantia definitur per perseitatem aptitudinalem; non verò per perseitatem actualem, neque per hoc quod sit fundamentum accidentium, neque per negationem essendi in alio; ergo substantia constitur per perseitatem aptitudinalem. Prob. min. quoad omnes partes. 1. Substantia non definitur per perseitatem actualem. Quia perseitas actualis est accidentalis omni creaturæ, & tantùm est essentialis Deo. 2. Substantia non definitur per illud quod sit fundamentum accidentium: quia non est illud quod primo concipitur in substantia, quia prius est substantiam esse, quam substantiam esse subjectum accidentium. 3. Non definitur per negationem essendi in alio. Quia res positiva non potest definiri per aliquid negativum; ergo substantia definitur tantùm per perseitatem aptitudinalem. Substantia autem definitur ens per se subsistens.



ARTICULUS II.

De divisione substantiæ.

DIcendum est substantiam dividi in primam & secundam. Substantia prima est substantia particularis sive singularis, ut Petrus & Paulus. Substantia autem secunda sunt genera & species in quibus primæ continentur; ergo substantia rectè dividitur in primam & secundam. Quod clarius patebit in istâ figurâ quæ vulgo appellatur arbor Porphiriana. Quia illam Porphirius delineavit Capite de Specie.


Arbor Porphiry
Substantia
Diuiditur
Diuiditur
jn Corporea
jn jn Corporea
Constituit
Repugnat
Corpus
Diuiditur
Diuiditur
jn Animatu
jn. Inanimatu
Constituit
Repugnat
Viuens
Diuiditur
Diuiditur
jn Sensible
jn Insesible
Constituit
Repugnat
Animal
Diuiditur
Diuiditur
jn Rationale
jn Irrationale
Constituit
Repugnat
Homo
Petrus Paulus



EXPLICATIO

Arboris Porphirianæ.

IN arbore Porphiriana tres sunt Lineæ; media dicitur illius profunditas, & in eâ collocantur substantiæ completæ v. g. genera, species, & individua: lineæ hinc & inde collocatæ dicuntur laterales, & in illis ponuntur differentiæ propriæ quæ dividunt genera, & quæ constituunt species & individua; & illæ differentiæ inter se sunt repugnantes & incompatibiles. Illud primum quod ponitur in mediâ lineâ dicitur genus supremum sive universalissimum qualis est substantia, quæ dividitur in corpoream & in incorpoream. Differentia corporea quæ repugnat incorporeæ sive spirituali, contrahens substantiam constituit corpus quod dicitur species subalterna quatenus subdividitur in alias species; corpus enim dividitur in animatum & in inanimatum. Prima differentia contrahens corpus constituit vivens quod dividitur in sensibile & in insensibile. Sensibile contrahens vivens constituit animal quod dividitur in rationale & in irrationale. Rationale contrahens animal constituit hominem qui numerice dividitur in Petrum & Paulum. Differentiæ autem negativæ quæ ponuntur loco positivarum quæ nobis sunt ignotæ, contrahentes similiter genera consti-

tuunt diversas species; substantia enim incorporea sive spiritualis complectitur varias species Angelorum. Corpus inanimatum continet varias species Cœlorum, Planetarum, & Elementorum. Vivens insensibile complectitur varias species Plantarum & arborum. Animal denique irrationale continet diversas species brutorum.



ARTICULUS III.
De Proprietatibus Substantiæ.

Dicendum est, sex esse proprietates substantiæ. 1. Substantiæ proprietas est, ut non sit in subjecto. 2. Est ut sit subjectum accidentium. 3. Est non habere contrarium. 4. Proprietas est secundas substantias & illarum differentias prædicari univocè de primis. 5. Proprietas est ut sit aliquid per se subsistens. Ultima proprietas est ut non suscipiat magis & minus, ita ut non sit modo magis, modò minùs substantia.



ARTICULUS IV. ET ULT.
Quænam sit ratio formalis constitutiva Accidentis.

Notandum est, duplicem esse inhærentiam, aliam scilicet actualem & aliam

aptitudinalem. Inhærentia actualis est unio actualis accidentis cum subjecto, quæ unio debetur naturaliter omni accidenti, nec potest ab illo separari nisi supernaturaliter. Inhærentia verò aptitudinalis est exigentia quædam quam habet accidens inhærere subjecto; quæ inhærentia non potest tolli ab accidente nec naturaliter nec supernaturaliter.


Dicendum est inhærentiam aptitudinalem esse rationem formalem constitutivam accidentis.

Prob. illud est ratio formalis constitutiva accidentis per quod accidens distinguitur à substantiâ. Quia idem est constitutivum ac distinctivum: atqui per inhærentiam aptitudinalem accidens distinguitur à substantia; siquidem substantia est ens per se subsistens, & accidens est ens in alio; ergo inhærentia aptitudinalis est ratio formalis constitutiva accidentis.

Obj. inhærentia accidentis præsupponit accidens constitutum; ergo non est ratio formalis constitutiva accidentis. Prob. ant. inhærentia aptitudinalis est relatio accidentis ad subjectum: sed relatio præsupponit subjectum jam constitutum; ergo inhærentia aptitudinalis præsuponit accidens constitutum.

Resp. neg. ant. ad cujus prob. dist min. relatio prædicamentalis præsuponit subjectum constitutum con. relatio transcendentalis nego, quia illud discrimen intercedit inter relationem prædicamentalem & transcendentalem, quòd relatio prædicamenta-

lis præsupponit quidem subjectum constitutum. Quia distinguitur realiter à subjecto cui advenit ; relatio verò transcendentalis non præsupponit subjectum constitutum. Quia est ipsum subjectum : inhærentia autem aptitudinalis est tantum relatio transcendentalis.



QUÆSTIO III.

De Quantitate.

PLurima dicenda occurrunt de quantitate, non omnia tamen ibi dicentur; plurima enim remittentur ad Physicam. Tria ergo tantum quærentur in tribus articulis.



ARTICULUS I.

Quanam sit ratio formalis constitutiva quantitatis.

NOtandum est. 1. Quantitatem esse accidens extensivum substantiæ. Quòd autem illud accidens distinguatur realiter à substantia , probabitur in Physica.

Notandum est 1. Quinquè reperiri in substantia affectâ quantitate 1. Quòd substantia habet partes 2. Quod substantia occupat

locum 3. Quòd expellit alia corpora 4. Quòd substantia est divisibilis in partes 5. Quòd substantia est mensurabilis; quæ omnia producuntur à quantitate & ita quinque sunt effectus quantitatis. Primus effectus est extensio interna, sive in ordine ad se & ad totum, per quam quantitas ordinat partes extra partes in ipso toto, ita ut una pars non sit alia. Secundus effectus quantitatis est extensio externa, sive in ordine ad locum per quam quantitas ita ordinat partes inloco ut una pars non sit in loco alterius. Tertius effectus quantitatis est impenetrabilitas per quam quantitas facit ut una pars expellat aliam ab eodem loco. Quartus effectus quantitatis est divisibilitas, per quam quantitas facit ut substantia possit dividi in diversas partes. Quintus deniquè effectus quantitatis est mensurabilitas, per quam quantitas facit ut cognoscamus magnitudinem alicujus substantiæ. In isto igitur articulo quæritur per quem ex illis quinque effectibus formalibus constituatur quantitas.

Dicendum est extensionem internam esse rationem formalem constitutivam quantitatis.

Prob. illud est ratio formalis constitutiva quantitatis quod non potest separari à quantitate, neque naturaliter neque supernaturaliter: atqui omnes effectus quantitatis separantur à quantitate præter extensionem internam; ergo sola interna extensio est ratio formalis constitutiva quantitatis. Prob. min. Corpus Christi in Venerabili Eucharistiæ Sacramento habet veram quantita-

tem, & ab illa quantitate omnes quantitatis effectus separantur præter extensionem internam; siquidem Corpus Christi non est extensum in loco, cum sit totum in tota Hostia & totum in quâlibet parte Hostiæ; Corpus Christi non est etiam proximè divisibile, nec mensurabile, nec impenetrabile; ergo sola extensio interna non separatur à quantitate: & proinde sola extensio interna est ratio formalis constitutiva quantitatis. Præterea ab illa extensione interna cæteræ quantitatis proprietates emanant tanquam à radice; siquidem substantia non est in loco, non est divisibilis, non est impenetrabilis, non est mensurabilis, nisi quia habet partes; ergo extensio interna est ratio formalis constitutiva quantitatis.



ARTICULUS II.

De Divisione Quantitatis.

DIcendum est. 1. Quantitatem in communi dividi in quantitatem permanentem & in quantitatem successivam. Quantitas permanens est illa cujus partes simul existunt, quale est v. g. lignum tripalmare. Quantitas successiva est illa cujus partes sibi invicem succedunt ita ut quando una existit altera non existat, qualis est v. g. hora.

Dicendum est. 2. Quantitatem permanentem dividi in continuam & discretam.

Continua eſt illa cujus partes communi termino uniuntur; communis autem terminus eſt ille qui ita eſt terminus unius partis, ut ſit etiam terminus alterius partis, unde debet eſſe aliquid indiviſibile. Quia ſi terminaret unam partem ſecundum aliquid ſui & terminaret alteram partem ſecundum aliquid aliud, non eſſet terminus communis utrique parti; & ita punctum eſt terminus in linea; ipſa vero linea eſt terminus in ſuperficie, & ſuperficies eſt terminus corporis. Quantitas autem diſcreta eſt illa cujus partes nullo communi termino uniuntur, qualis eſt v. g. multitudo lapidum.

Dicendum eſt. 3. Species quantitatis permanentis continuæ eſſe lineam, ſuperficiem & corpus. Linea eſt longitudo ſine latitudine & profunditate; vel eſt magnitudo habens partes extenſas in longum, & unitas per puncta. Superficies eſt latitudo ſine profunditate, ſive magnitudo habens partes extenſas in latum & unitas per lineas: corpus verò poteſt ſumi dupliciter vel Phyſicè, vel Mathematicè. Corpus Phyſicè ſumptum eſt ſubſtantia corporea conſtans materia & forma. Corpus vero Mathematicè ſumptum eſt quantitas habens trinam dimenſionem ſcilicet longitudinem latitudinem, & profunditatem.

Dicendum eſt. 4. Quantitatem diſcretam dividi in varias ſpecies numeri. Numerus autem eſt multitudo unitatum & conſiſtit formaliter in illo ordine quem dicit ultima unitas ad cæteras unitates quas ultimò claudit & terminat, quatenus ex hac ultima

unitate sumitur determinata quantitas numeri, v. g. ut aliquis numerus sit ternarius, hoc ita dependet ab ultima unitate, ut si daretur altera unitas ultra illam ultimam, non esset numerus ternarius sed quaternarius.

Dicendum est ultimo species quantitatis successivæ esse tempus & motum. Species temporis sunt annus, sœculum. &c. de tempore & motu plurima dicentur in Metaphysica & in Physicà.



ARTICULUS ULTIMUS.
De Proprietatibus Quantitatis.

Dicendum est dari tres proprietates quantitatis.

Prima proprietas est quantitatem non habere contrarium propriè dictum : illa autem dicuntur contraria propriè dicta quæ se mutuo expellunt à subjecto. Quantitas autem non expellit aliam quantitatem. Quia non est activa, & ita non potest agere in aliam quantitatem ut illam expellat, & licet videatur esse aliqua contrarietas inter parvum & magnum, hoc tantum est extrinsecè & comparativè.

Secunda quantitatis proprietas est non suscipere magis & minus ; numerus enim non est magis numerus hodiè quam heri, licet possit recipere majorem extensionem. Et ita discrimen intercedit inter suscipere majus & minus & inter suscipere magis vel

minus. Quia suscipere majus vel minus est suscipere majorem vel minorem extensionem: suscipere vero magis & minus, est perfici in sua entitate.

Tertia quantitatis proprietas est esse fundamentum æqualitatis vel inæqualitatis; duo enim quanta dicuntur æqualia vel inæqualia.



QUÆSTIO IV.

De Relatione.

De relatione quæ nihil aliud est quam ordo cujus totum esse, est se habere ad aliud, quinque quærentur in quinque articulis.



ARTICULUS I.

De Divisione & Conditionibus Relationis.

Dicendum est. 1. Relationem in communi multipliciter dividi.

1. Relatio dividitur in relationem realem & in relationem rationis. Relatio realis nihil aliud est quam ordo quem res aliqua dicit

ad aliam rem nullo intellectu cogitante, qualis est relatio patris ad filium. Relatio verò rationis nihil aliud est quàm ordo quem intellectus cócipit in rebus quæ à parte rei non referuntur, qualis est relatio prædicati ad subjectum.

Secundò. Relatio dividitur in relationem transcendentalem & in relationem prædicamentalem. Relatio transcendentalis est aliqua entitas absoluta quæ non potest concipi & à nobis explicari, nisi per ordinem ad aliud. Illa autem relatio dicitur transcendentalis, quia vagatur per diversa genera & prædicamenta. Illa etiam relatio non distinguitur à subjecto. Relatio verò prædicamentalis est ordo aliquis distinctus realiter à re cui advenit.

3. Relatio prædicamentalis dividitur in mutuam & non mutuam. Relatio non mutua est illa cujus extrema ad invicem non referuntur, qualis est relatio creaturarũ ad Deum & relatio Mariæ ad Christum; creaturæ enim referuntur ad Deum, Deus non refertur ad creaturas; similiter Maria refertur ad Christum & Christus non refertur ad Mariam. Relatio mutua est illa cujus extrema ad invicem referuntur, qualis est relatio Patris ad Filium.

Quartò relatio dividitur. Vel ratione termini, vel ratione fundamenti. Ratione termini dividitur in relationẽ æquiparentiæ & in relationem disquiparentiæ. Relatio æquiparentiæ est illa cujus extrema habent eandem denominationem, qualis est identitas, æqualitas, & similitudo. Relatio disquiparentiæ est illa

cujus extrema non habent eandem denominationem qualis est paternitas & filiatio, dominium & servitus. Relatio autem ratione fundamenti dividitur in relationes primi generis, secundi generis, & tertii generis.

Relationes primi generis fundantur in unitate, vel naturæ, vel quantitatis, vel qualitatis. Illæ autem relationes quæ fundantur in unitate naturæ, sunt identitas, qualis reperitur inter Petrum & Paulum qui habent eandem naturam. Relationes quæ fundantur in unitate quantitatis sunt æqualitas qualis reperitur inter duo ligna bipalmaria quæ habent eandem quantitatem. Relationes quæ fundantur in unitate qualitatis, sunt similitudo, qualis reperitur inter duos parietes albos qui habent eandem qualitatem nempè albedinem.

Relationes secundi generis fundantur in actione, qualis est relatio calefactivi ad calefactibile, vel in passione, qualis est calefactibilis ad calefactivum.

Relationes Tertii generis fundantur in mensurâ vel mensurabilitate.

Dicendum est ultimò dari quinque conditiones relationis prædicamentalis.

Prima relationis conditio est, ut relata sint simul naturâ & cognitione; relata enim habent inter se tantam connexionem ut unum non possit esse sine alio, nec etiam cognosci. Unde unum definitur per aliud.

Secunda conditio est, ut subjectum sit reale. Quia relatio prædicamentalis non potest subjectari in ente rationis.

Tertia conditio est, ut fundamentum sit

etiam reale. Quia omnis effectus realis habet causam & fundamentum reale.

Quarta conditio est, ut terminus sit realiter existens.

Quinta denique conditio est, ut utrumque extremum sit ejusdem rationis.



ARTICULUS II.

Vtrum Relatio distinguatur realiter à fundamento.

NOtandum est; quòd quatuor reperiuntur in relatione, scilicet subjectum, terminus, fundamentum, & ratio fundandi. Subjectum est illud quod refertur. Terminus est illud ad quod subjectum refertur. Fundamentum est illud per quod subjectum refertur ad terminum; v. g. in pariete albo, albedo est fundamentum relationis existentis inter duos parietes. Quia efficit ut unus paries, qui est subjectum relationis, referatur ad alium parietem qui est terminus. Ratio fundandi quæ ab aliis vocatur fundamentum proximum, est conditio requisita ut exurgat relatio. Sic generatio dicitur ratio fundandi, quia est conditio requisita ut exurgat paternitas. Ratio autem fundandi habet tantummodo locum in illis relationibus quæ fundantur in actione. Quæritur ergo in isto articulo, an relatio distinguatur realiter à fundamento v. g. an similitudo quæ est inter

duos parietes albos, sit aliquod accidens distinctum ab albedine, vel utrum sit ipsamet albedo. Ita ut unus paries albus referatur ad alium parietem per solam albedinem.

Dicendum est relationem distingui realiter à fundamento.

Prob. 1. Illa distinguuntur realiter quæ separantur realiter: atqui relatio & fundamentum separantur realiter; ergo distinguntur realiter. Major patet; nullum enim majus signum est distinctionis realis, quam separatio realis. Prob. vero min. datur relatio similitudinis inter Petrum album & Paulum album, & fundamentum illius relationis est albedo: atqui denigrato Paulo perit in Petro relatio, remanente tamen albedine quæ est fundamentum relationis; ergo relatio & fundamentum separantur realiter.

Prob. 2. Duo parietes non possunt referri per solam albedinem; ergo referuntur per aliquid distinctum ab albedine. Prob. ant. albedo non potest dare esse relativum; ergo duo parietes non possunt referri per solam albedinem. Prob. ant. quod est absolutum non potest dare esse relativum; atqui albedo est aliquid absolutum. Quia non dependet ab alio tamquam à termino; ergo albedo non potest dare esse relativum.

Obj. 1. Sublatâ divinitùs relatione distincta ab albedine, parietes albi inter se semper referrentur, quia essent similes; ergo duo parietes possunt referri per solam albedinem.

Resp. dist. ant. parietes semper essent similes fundamentaliter con. formaliter nego

Quia sublatâ divinitùs relatione, illi parietes non haberent formam quæ similitudinem formalem producit. Et ita non possent esse formaliter similes, tantùm enim haberent albedinem, quæ non potest producere formalem similitudinem. Quia non potest dare esse relativum (ut jam probatum est.)

Obj. 2. Posito quòd daretur unicus paries albus Tolosæ, si relatio distingueretur à fundamento sequeretur, quod quando paries dealbaretur Romæ, paries Tolosæ existens reciperet novam entitatem realem : atqui falsum est quod ille paries Tolosæ existens reciperet novam entitatem : ergo relatio non distinguitur à fundamento. Prob. min. Paries Tolosæ existens non immutaretur. Quia ex Aristotele ad relationem non datur motus : ergo paries Tolosæ existens non reciperet novam entitatem realem.

Resp. 1. Neg. min. ad cujus prob. dist. ant. Paries Tolosæ existens non immutaretur absolutè conc. relativè nego. Quia aliquid potest immutari duplici modo, scilicet absolutè & relativè. Illud immutatur absolutè, quod in se alio modo disponitur. Illud verò dicitur immutari relativè, quod tantum mutatur per ordinem ad aliud, sive quod refertur ad aliud ad quod antea non referebatur : cum autem relatio non sit forma ad se ; sed tantum ad aliud, non immutat, seu non disponit alio modo subjectum in seipso : sed solum immutat in ordine ad aliud, quod est tantum immutare relativè.

Resp. 2. disting. auctoritatem Aristotelis. Ad relationem non datur motus primariò &

per se conc. secundariò & per accidens nego. Quia relatio dicitur immutare subjectum secundario & per accidens, quatenus sequitur ad illam formam, quæ per se & primario immutat v.g. relatio similitudinis quæ est in pariete albo, dicitur per accidens & secundariò immutare parietem, quatenus sequitur ad albedinem, quæ per se & primariò ipsum parietem immutat.

Instabis. Atqui paries Tolosæ existens nullam recipit novam entitatem; ergo nulla solutio. Prob. subs. Nulla potest assignari causa producens illam novam entitatem in pariete Tolosæ existente; ergo paries Tolosæ existens nullam recipit novam entitatem. Prob. ant. Si esset aliqua causa producens illam entitatem, vel esset ipse paries Tolosæ existens, vel ipse paries Romæ, vel ipse dealbans parietem Romæ: atqui non potest esse paries Tolosæ existens. Quia nihil est quod ipsum determinet ad producendam talem realem entitatem quam antea non producebat; non potest esse ipse paries Romæ, neque ipse dealbans parietem Romæ. Quia nequeunt in tantam distantiam agere; ergo nulla potest assignari causa.

Resp. neg. subs. & ant. & ad prob. nego maj. Quia ista nova entitas realis non producitur, neque à pariete Tolosæ, neque à pariete Romæ, neque ab ipso dealbante parietem Romæ; sed producitur à fundamento quod est causa productiva illius relationis: v.g. albedo existens in pariete Tolosæ producit relationem, quando ponitur terminus; hoc est quando paries dealbatur Romæ: vel

etiam poteſt dici quòd illa nova entitas producitur ab illo qui olim dealbaverat parietem Toloſæ, qui licet non ſit formaliter, tamen virtualiter exiſtit. Quia tandiu dicitur remanere dealbans, quandiu remanet ipſa albedo.

Obj. 3. Duæ ſubſtantiæ referuntur inter ſe v. g. datur relatio inter Petrum & Paulum: atqui illæ duæ ſubſtantiæ non poſſunt referri per aliquod accidẽs: ergo referuntur per ſeipſas. Et proinde relatio non diſtinguitur realiter à fundamento.

Reſp. diſt. min. Duæ ſubſtantiæ non poſſunt referri abſolutè & ſubſtantialiter per aliquod accidens conc. non poſſunt referri relativè & accidentaliter nego. Quia Petrus & Paulus dicuntur habere eandem ſubſtantiam abſolutè, quatenus habent eadem prædicata eſſentialia; nec tamen referuntur ad invicem niſi accedat illa relatio accidentalis diſtincta ab illis ſubſtantiis. Quia illæ ſubſtantiæ ſecundum ſe ſunt aliquid abſolutum; ergo indigent aliquo accidentali per quod referantur.

Ob. 4. Datur relatio æqualitatis inter duos numeros quinarios: ſed ſi relatio diſtingueretur realiter à fundamento, illa æqualitas eſſet in quinque diverſis unitatibus, & proinde unum accidens in diverſis ſubjectis (quod non poteſt dici ſecundum doctrinam Sancti Thomæ;) ergo relatio non diſtinguitur realiter à fundamento.

Reſp. diſt. min. Æqualitas eſſet in quinque diverſis unitatibus præſuppoſitivè conc. formaliter nego. Quia cum æqualitas ſit proprietas numeri, recipitur in eodem ſubjecto,

in quo subjectatur essentia numeri: sed essentia numeri subjectatur in ultimâ unitate præsupponente alias unitates; ergo æqualitas numeri recipitur in ultima unitate præsupponente alias unitates.

Obj. ultimò. Si relatio distingueretur realiter à fundamento, daretur processus in infinitum: atqui illud non potest dici; ergo nec aliud. Prob. sequela maj. Si paternitas v. g. esset aliquod accidens distinctum realiter à fundamento, posset recipere alteram relationem per quam esset similis alteri paternitati, & illa similitudo posset fundare alteram, & sic in infinitum: ergo si relatio distingueretur realiter à fundamento, daretur processus in infinitum.

Resp. neg. sequelam maj. ad cujus prob. neg. ant. Quia relatio est tam minimæ entitatis, ut non possit fundare alteram relationem; omne quippe fundamentum debet esse perfectius eo quod fundatur. Et ita paternitas refertur ad alteram paternitatem per seipsam, hoc est per relationem transcendentalem: non verò per relationem prædicamentalem, quia cum paternitas sit essentialiter relatio, non indiget alterâ relatione ut referatur: quia quod est per se tale, non indiget fieri tale per aliud. Illud etiam docet Sanctus Thomas 1. parte, quæstione quadragesima secunda, art. 1. ad quartum. *Una* (inquit) *relatio non refertur ad aliam per aliquam aliam relationem.*

Inst. atqui paternitas refertur ad aliam paternitatem per relationem prædicamentalem: ergo nulla solutio. Prob. subs. illa relatio di-

ſtinguitur realiter à fundamento, nempè à paternitate: ergo illa relatio eſt prædicamentalis. Prob. ant. illa relatio diſtinguitur realiter à fundamento, quæ realiter ſeparatur ab illo: atqui relatio per quam paternitas refertur ad alteram paternitatem, poteſt ſeparari à fundamento, hoc eſt à paternitate: ergo diſtinguitur realiter à fundamento. Prob. min. Similitudo v.g. quâ paternitas Pauli refertur ad paternitatem Petri, perit remanente paternitate Pauli, quando perit in Petro paternitas: ergo illa relatio ſeparatur realiter à fundamento.

Reſp. neg. ſubſ. ad cujus prob. neg. ant. & min. & diſt. ult. ant. Similitudo perit quantum ad terminum quem non amplius reſpicit conc. quantum ad entitatem neg. quia in paternitate Petri duo poſſunt conſiderari: ſcilicet entitas & ſimilitudo per quam ipſa paternitas Petri reſpicit ipſam paternitatem Pauli: verum quidem eſt quòd pereunte paternitate Pauli, perit ſimilitudo quam habebat paternitas Petri; ſed ſemper remanet ipſius paternitatis entitas.



ARTICULUS III.

Vtrum relatio terminetur ad relativum.

NOtandum eſt 1. Quòd quando quæritur an relatio terminetur ad relati-

vum idem eſt ac ſi quæreretur? quænam ſit ratio formalis quâ terminus conſtituitur formaliter terminus; ſive quænam ſit ratio formalis quâ terminus terminat formaliter relationem alterius extremi: quæritur ergo utrum ratio formalis quâ terminus formaliter terminat rationem alteriùs extremi, ſit aliqua forma vel abſoluta, vel relativa, v. g. an ſit albedo quæ eſt in pariete, vel an ſit ſimilitudo, quæ eſt in eodem pariete.

Notandum eſt 2. Quòd circa præſentem quæſtionem triplex eſt ſententia. Prima ſententia eſt Scoti, qui aſſerit omnem relationem terminari ad abſolutum, non verò ad reſpectivum. Ita ut v. g. ratio formalis quâ paries A. terminat relationem parietis B. non eſt ipſa ſimilitudo: ſed eſt ipſa albedo. Secunda ſententia eſt quorundam Philoſophorum qui aſſerunt terminum relativum terminare relationes mutuas, & terminum abſolutum terminare relationes non mutuas. Tertia ſententia eſt illorum qui dicunt relationes mutuas & non mutuas terminari ad relativum, quam tertiam ſententiam ſequimur. Quare

Dicendum eſt. Omnem relationem prædicamentalem, tam mutuam quam non mutuam terminari ad relativum.

Prob. Concluſio quoad primam partem. Paternitas terminatur ad filiationem; ergo relatio terminatur ad relativum. Prob. ant. Pater reſpicit filium ut filium; ergo paternitas refertur ad filiationem. Prob. ant. Pater æternus reſpicit filium ut filius eſt, & filius reſpicit patrem æternum ut pater eſt; alioquin filius

filius distingueretur à patre secundum aliquod absolutum (quod est contra commune Theologorum effatum (*in divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio*; ergo similiter in creatis pater respicit filium ut filius est. Præterea extrema relationis debent esse formaliter relativa; ergo relatio terminatur ad relativum. Prob. ant. Relatio ut relatio, est formaliter oppositio; ergo extrema relationis debent esse formaliter relativè opposita: atqui illa extrema non essent formaliter relativè opposita, si unum extremum esset absolutum & aliud esset relatiuum; ergo extrema relationis debent esse formaliter relativè opposita.

Prob. 2. pars conclusionis. Extrema relationis non mutuæ sunt etiam formaliter relativè opposita; ergo relatio etiam non mutua terminatur ad relativum. Prob. ant. Relatio mutua & relatio non mutua directè ponuntur in isto prædicamento: ergo debent participare univocè rationem formalem relationis: sed ratio formalis est essentialiter oppositio, quæ debet esse inter extrema formaliter relativè opposita: ergo extrema relationis non mutuæ sunt formaliter relativè opposita.

Obj. 1. Relatio paternitatis non terminatur ad filiationem: ergo non terminatur ad relativum. Prob. ant. Pater respicit tantum substantiam filii à se geniti: ergo paternitas non terminatur ad filiationem.

Resp. neg. ant. ad cujus prob. dist. ant. Pater respicit substantiam filii, tanquam terminum materialem conc. tanquam terminum formalem nego. Quia terminus materialis est

ille qui respicitur. Terminus verò formalis est ille ratione cujus terminus materialis respicitur: Verum quidem est quòd substantia filii respicitur à patre: sed non respicitur nisi ratione filiationis.

Obj. 2. Terminus est formaliter terminus ante relationem: ergo relatio non terminatur ad relativum. Prob. ant. Relatio non potest resultare nisi posito fundamento & termino: ergo terminus est formaliter terminus ante relationem.

Resp. neg. ant. ad cujus prob. dist. secundum ant. Relatio non potest resultare, nisi posito fundamento & termino radicali conc. nisi posito fundamento & termino formali neg. Quia relatio dependet tantùm à termino tanquam à radice suæ specificationis. Et ita debet solum poni terminus radicalis.

Inst. Atqui terminus formaliter sumptus est ante relationem: ergo nulla solutio. Prob. subs. Specificativum est ante illud quod specificatur: atqui relatio specificatur à termino formaliter sumpto: ergo terminus formaliter sumptus est ante relationem.

Resp. neg. subs. ad cujus prob. dist. maj. Specificativum per modum causæ est ante illud quod specificatur con. specificativum per modum termini neg. quia duplex est specificativum. Unum se habet per modum causæ, & illud est fundamentum. Ita relatio præsupponit fundamentum formaliter sumptum, quia ab illo dependet tanquam à causa. Secundum specificativum se habet per modum termini, & illud specificativum est terminus, qui terminus tantùm materialiter sumptus

præsupponitur ad relationem.

Obj. ultimò. Terminus relationis non mutuæ non est relativus; ergo relatio non mutua non terminatur ad relativum.

Resp. dist. ant. terminus relationis non mutuæ non est relativus intrinsecè con. extrinsecè nego. Quia aliquid potest esse duplici modo relativum, scilicet intrinsecè & extrinsecè. Illud dicitur intrinsecè relativum quod in se habet relationem. Illud verò dicitur extrinsecè relativum quod non habet in se relationem & quod est relativum per relationem existentem in alio. Ita terminus relationis non mutuæ est tantum relativus extrinsecè, hoc est per denominationem extrinsecam sumptam ab altero extremo sive à relatione existente in alio; sicuti paries dicitur visus extrinsecè per visionem existentem in oculo & terminatam ad ipsum parietem; ita Deus dicitur Dominus à relatione servitutis existente in creaturis; ita Christus dicitur filius Mariæ à relatione maternitatis existentè in Maria. Et proinde licet Christus dicatur verè Filius Mariæ, non est intelligendum quòd habeat filiationem sibi intrinsecam. Quia (ut docet Sanctus Thomas) aliquis dicitur verè filius, non quia refertur ad patrem & matrem: sed quia pater & mater referuntur ad illum: & ita licet Christus non referatur ad Mariam, est tamen verè Filius Mariæ, quia Maria refertur ad ipsum.



ARTICULUS IV.

Vtrum relatio specificetur à fundamento & à termino.

DIcendum est relationem specificari à fundamento & à termino.

Prob. ab illo specificatur relatio à quo desumit suum esse : atqui relatio desumit suum esse à fundamento & à termino; ergo specificatur à fundamento & à termino. Prob. min. ab illo relatio desumit suum esse per quod definitur: atqui definitur per fundamentum, & terminum : siquidem relatio definitur ab Aristotele, illud *cujus totum esse, est se habere ad aliud*, sive *ordo unius ad aliud.* Et per ly unius intelligitur fundamentum, & per ly aliud intelligitur terminus; ergo relatio desumit suum esse à fundamento & à termino : & proinde ab utroque specificatur : sed diverso modo. Siquidem specificatur à fundamento in genere causæ efficientis : specificatur verò à termino in genere causæ formalis extrinsecæ, nec fundamentum & terminus faciunt duplex specificativum ; habent enim rationem unius, quatenus ad invicem coarctantur & commensurantur.

Obj. si relatio specificaretur à termino, sequeretur quòd unica relatio non posset respicere plures terminos specie diversos:

atqui unica relatio respicit plures terminos specie diversos ; siquidem unica filiatio respicit paternitatem & maternitatem tanquam terminos diversos ; ergo relatio non potest specificari à fundamento & à terminó.

Resp. dist. min. filiatio respicit paternitatem & maternitatem tanquam terminos diversos & inadæquatos con. tanquam terminos adæquatos nego, quia paternitas & maternitas habent tantum rationem unius termini.



ARTICULUS ULTIMUS.

Vtrum multiplicatis solùm terminis multiplicetur relatio.

NOtandum est. Quòd quando quæritur an multiplicatis terminis multiplicetur relatio idem est ac si quæreretur ? utrum unum subjectum per unicam relationem in se existentem possit referri ad plures terminos: vel utrum tot requirantur relationes, quot sunt termini v. g. an pater habens tres filios unicâ paternitate ad omnes referatur, vel utrum tribus paternitatibus singulos filios respiciat. Similiter an paries albus per vnicam similitudinem referatur ad plurimos parietes albos.

Dicendum est relationem non multiplicari multiplicatis terminis.

Prob. ut relatio multiplicetur debet mul-

tiplicari illud à quo relatio habet ſuam unitatem numericam: atqui multiplicatis terminis materialibus, non multiplicatur illud à quo relatio habet ſuam unitatem numericam; ergo multiplicatis terminis non multiplicatur relatio. Prob. min. relatio habet ſuam unitatem numericam à ſubjecto: atqui multiplicatis terminis materialibus non multiplicatur ſubjectum; ergo multiplicatis terminis non multiplicatur illud à quo relatio habet ſuam unitatem numericam. Prob. maj. accidens habet ſuam unitatem numericam, ſive individuatur à ſubjecto ſecundum doctrinam ſancti Thomæ, & ut probabitur in Phyſica: atqui relatio eſt accidens; ergo habet ſuam unitatem numericam à ſubjecto.

Obj. 1. Paternitas reſultat in patre quando producitur primogenitus & debet reſultare altera paternitas quando producitur ſecundogenitus, ergo in patre habente plurimos filios ſunt plures paternitates: prob. 2. pars antecedentis. Si non reſultaret nova paternitas ad productionem ſecundogeniti, ſequeretur quòd relata non eſſent ſimul naturâ & cognitione: atqui relata debent eſſe ſimùl naturâ & cognitione; ergo in productione ſecundogeniti debet reſultare nova paternitas. Prob. ſequela Majoris. Paternitas quæ reſultavit ad productionem primogeniti eſt prior naturâ & cognitione, ipſâ filiatione ſecundogeniti; ergo ſi nova non reſultaret paternitas in productione ſecundo geniti, relata non eſſent ſimùl naturâ & cognitione.

Reſp. neg. ſecundam. Partem ant. ad cujus prob. nego ſequelam maj. & diſt. ult. ant. pater-

nitas quæ resultavit ad productionem primogeniti est prior filiatione secundogeniti, secundum entitatem con. secundum extensionem nego. quia relatio dicit duo, scilicet entitatem suam & respectum ad aliud, & ita relatio potest esse prior altero secundum illa duo: verùm quidem est quòd paternitas quæ resultavit ad productionem primogeniti est prior secundum entitatem suam ipso secundo genito. Quia illa relatio prius existit in patre: sed non est prior secundum respectum & extensionem. Quia ipsa paternitas non dicit respectum ad, filium nisi quando filius secundogenitus dicit respectũ ad patrem,& ita illa duo relata sunt simùl naturâ & cognitione.

Obj. 1. Paternitas quæ resultavit in productione primogeniti, non potest extendi ad secundogenitum; ergo debet resultare nova paternitas. Prob. ant. quod est indivisibile non potest extendi: atqui paternitas est indivisibilis; ergo non potest extendi ad secundogenitum.

Resp. neg. ant. ad cujus prob. dist. min. relatio est indivisibilis entitativè& intrinsecè con. terminative & extrinsecè, neg. quia illud dicitur indivisibile entitative & extrinsecè, quod non componitur ex plurimis partibus: atqui relatio non componitur ex plurimis relationibus partialibus, ergo est indivisibilis entitativè & intrinsecè. Illud verò est extrinsecè divisibile quod potest extendi ad plura: sed relatio extenditur ad plura; ergo est extrinsece divisibilis. Sicuti scientia dicitur entitative indivisibilis, quia non componitur ex plurimis partialibus ha-

bitibus; dicitur verò extrinsecè divisibilis, quatenus extenditur ad plures conclusiones.

Obj. ult. debet nova resultare relatio, quando ponuntur omnia necessariò prærequisita ad productionem novæ relationis: atqui in productione secnndogeniti ponuntur necessario prærequisita ad productionem novæ relationis; quia eadem quæ posita fuerunt in productione primogeniti in quâ resultavit relatio, ponuntur in productione secundogeniti;ergo.debet produci nova relatio.


Resp. dist. maj. debet produci nova relatio si subjectum non sit impeditum con. si subjectum sit impeditum nego. Quia subjectũ habens unam paternitatem est impeditum, siquidem duo accidentia numero diversa non possunt recipi in eodem subjecto, (ut probabitur in Physica.)



QUÆSTIO V.

De Qualitate.

UT tota istius prædicamenti natura perfectè cognoscatur, agendum de definitione, divisione & proprietatibus qualitatis.



ARTICULUS I.

De definitione, divisione, & proprietatibus qualitatis.

Dicendum est 1. Qualitatem definiri ab Arist. *Accidens secundum quod dicimur quales*; vel definiri à Sancto Thoma, *Accidens per quod substantia determinatur ad aliquod esse accidentale cum aliquo peculiari modo*, v. g. paries dicitur albus per albedinem.

Dicendum est 2. Qualitatem dividi in quatuor species, scilicet habitum & dispositionem, potentiam & impotentiam, passionem & patibilem qualitatem, formam & figuram.

Prob. & explicatur talis divisio. Substantia potest disponi quatuor modis : ergo dantur quatuor species qualitatis. Prob. ant. Substantia 1. ita disponitur ut benè vel malè se habeat, & ita constituuntur habitus & dispositio; vel disponitur secundum operari, quod est fortè vel languidum, & ita constituuntur potentia & impotentia; vel disponitur secundum motum Physicum, & ita constituuntur passio & patibilis qualitas; vel denique disponitur secundum partes qualitatis, & ita constituuntur forma & figura : habitus igitur est qualitas per quam subjectum benè vel malè se habet & est difficilè mobilis à subjecto. Dispositio verò est facilè mobilis à sub-

jecto. Potentia est qualitas ordinata ad operandum. Impotentia verò est ipsamet qualitas, sed infirma & debilis. Passio est qualitas afferens mutationem corporalem & sensibilem, sed brevi tempore durans & permanens in subjecto, qualis est verecundia in vultu. Patibilis verò qualitas est eadem forma, sed diuturnior, hoc est longiori tempore permanens in subjecto, qualis est pallor proveniens à morbo. Forma est qualitas determinans & disponens quantitatem. Figura verò est eadem qualitas determinans quantitatem aliquo modo.

Dicendum est 3. Tres esse proprietates qualitatis. Prima proprietas est, habere contraria propriè dicta; proprium enim qualitatum est sese mutuo expellere ab eodem subjecto, ut patet in calore & frigore.

Secunda proprietas est, suscipere magis & minus.

Tertia proprietas est, esse fundamentum similitudinis & dissimilitudinis.



ARTICULUS ULTIMUS.

Vtrum habitus & dispositio sint duæ species qualitatis essentialiter diversæ.


NOtandum est quòd potentia & impotentia, passio & patibilis qualitas, for-

ma & figura, differunt tantum accidentaliter; siquidem potentia & impotentia differunt ex eo quod una sit perfecta, & altera imperfecta (quod est omnino extrinsecum & accidentale.) passio & patibilis qualitas differunt ex eo quod una brevi tempore durat, & altera diutius. Forma denique & figura differunt ex eo quod una sit concreta, & altera sit abstracta.

Dicendum est habitum & dispositionem differre inter se essentialiter.

Prob. Illa essentialiter differunt, quæ habent differentias inter se essentialiter oppositas: atqui habitus & dispositio habent differentias inter se essentialiter oppositas; ergo differunt essentialiter. Prob. min. Esse difficilè mobile à subjecto, & esse facile mobile à subjecto, sunt differentiæ essentialiter oppositæ: atqui illæ differentiæ conveniunt habitui & dispositioni, si considerentur secundum se; si enim habitus consideretur ratione subjecti est facilè mobilis à subjecto, v. g. virtus in puero licet ex naturâ suâ sit difficilè mobilis, tamen ratione subjecti potest facilè moveri; ergo habitus & dispositio differunt inter se essentialiter.





QUÆSTIO ULTIMA.

De ſex ultimis prædicamentis, & poſtprædicamentis.

ISTA quæſtio duos dumtaxat complectetur articulos. In primo agetur de ſex ultimis prædicamentis. In ſecundo de poſtprædicamentis.



ARTICULUS I.

De ſex ultimis prædicamentis.

DIcendum eſt 1. Quòd actio definitur. *Accidens quo cauſa conſtituitur actu cauſans*; vel definitur à Gilberto Porretano. *Forma ſecundum quam denominamur agere in ſubjectam materiam.* Inde conjiciendum eſt, quòd in actione quatuor reperiuntur. Primum eſt ipſum principium activum, quod dicitur agens. Secundum eſt ſubjectum, quod dicitur paſſum. Tertium eſt ipſa actio. Quartum eſt effectus productus v. g. quando ignis calefacit manum, ignis dicitur agens, manus dicitur paſſum, ſive ſubjectum recipiens calorem, actio eſt ipſa calefactio, & calor eſt effectus productus.

Dicendum

Dicendum est 2. Passionem definiri *Actualem receptionem termini*, vel *accidens à quo res constituitur actu recipiens.* Quia (ut inquit Sanctus Thomas) sicut agere nihil aliud est quàm causare formam in passo, ita pati nihil aliud est quàm recipere formam.

Dicendum est 3. Ubi definiri *Accidens aliquod, per quod aliquid dicitur esse in loco formaliter.* De illo ubi fusius agetur in Physica.

Dicendum est 4. Situm definiri *Positionem partium corporis, secundum quam corpus dicitur jacere vel sedere*, vel situm definiri. *Accidens aliquod quo mediante partes corporis ponuntur & determinatè ordinantur in loco.* Quod autem illa forma accidentalis distinguatur ab ubi, illud patet ex eo quod unum mutatur, aliud verò non mutatur. Mutatur enim aliquando ubicatio, situ semper remanente eodem; si quis v. g. sedens vel jacens in curru deferatur ab uno loco ad alium.

Dicendum est 5. Quandò definiri *Accidens quod ex adjacentiâ temporis relinquitur*; sive definiri *Affectionem quandam rebus additam, per quam res dicuntur esse vel fuisse.* Inde constat quod prædicamentum quando est aliqua forma realis intrinsecè inhærens in re aliqua per quam cognoscitur, quantum duret & persistat in suo esse. Hæc autem forma resultat & producitur in re quâlibet ex adjacētia sive subjectione & respectu quem dicit ad tempus sive motum primi mobilis; nam sicut quòd res sit in loco, resultat aliquod accidens in re locata; ita quoque quòd alicujus rei duratio dependeat à motu primi mobilis,

five à tempore quod eſt menſura durationis cujuſlibet rei, reſultat prædicamentum quando. v. g. oratio Petri dicitur durare hora media per reſpectum ad partem unius circulationis primi mobilis, & ex tali reſpectu reſultat, & producitur in Petri oratione aliqua forma accidentalis, quà mediante oratio dicitur durare tanto & tali tempore.

Dicendum eſt ultimo. Prædicamentum habitûs definiri *Adjacentiam corporis, ad illa quæ ſunt circa corpus*; ſicuti enim ex loco ambiente reſultat aliqua forma accidentalis in corpore locato: ita ex adjacentia & applicatione tegumentorum reſultat aliqua forma accidentalis, per quam tale corpus dicitur proximè & formaliter indutum.



ARTICULUS ULTIMUS.

Quid & quotuplex ſit poſtprædicamentum.

DIcendum eſt 1. Poſtprædicamentum definiri *modum, ſive affectionem conſequentem ad naturam prædicamentorum.* v. g. ad naturam caloris ſequitur, quod ſit qualitas contraria & oppoſita frigori. Similiter ad naturam cujuſque actionis ſequitur quod ſit prior ſuo effectu.

Dicendum eſt 2. Quinque aſſignari poſt prædicamenta, ſcilicet oppoſitionem, prioritatem, ſimultatem, modum habendi, & motum.

Oppoſitio dicitur *repugnantia inter duo extrema, quæ in eâdem re ſimul, ſecundum eandem partem, reſpectu ejuſdem, eſſe non poſſunt.* Oppoſitio autem eſt quadruplex, ſcilicet oppoſitio relativa, contradictoria, privativa; & contraria.

Oppoſitio relativa eſt *repugnantia inter duo extrema quæ ab invicem dependent*; ita ut unum non poſſit eſſe ſine alio, qualis eſt inter patrem & filium.

Oppoſitio contradictoria eſt *repugnantia inter ens & non ens*, ut inter hominem & non hominem, vel eſt repugnantia inter formam & puram ejus negationem; itaut unum formaliter removeat & tollat alterum, qualis eſt inter album & non album.

Oppoſitio privativa eſt *repugnantia inter formam & ejus privationem*, ut inter viſum & cœcitatem in homine.

Oppoſitio contraria eſt *repugnantia inter duo extrema ejuſdem generis*, qualis eſt inter calorem & frigus.

Dicendum eſt 3. Prioritatem definiri *modum quo unum præ alio dicitur prius.* Sunt autem quinque prioritates; ſcilicet prioritas temporis, prioritas ſecundum ſubſiſtendi conſequentiam, prioritas ordinis, prioritas dignitatis, & prioritas naturæ.

Prioritas temporis eſt, quando unum præcedit aliud tempore; ſic Adamus præceſſit Abraham.

Prioritas ſecundum ſubſiſtendi conſequentiam eſt, quando exiſtentia unius infertur ex exiſtentiâ alterius, & non contra; ſiquidem ex exiſtētiâ prioris non ſequitur exiſtentia poſte-

rioris, sed ex existentiâ posterioris sequitur existentia prioris. Unde rectè infertur. *Est homo; ergo est animal.* Quia homo est quid inferius & posterius respectu animalis.

Prioritas ordinis est, quando unum præcedit aliud ordine; ita exordium præcedit ordine cæteras orationis partes; ita Logica præcedit cæteras scientias.

Prioritas dignitatis est quando unum præcedit aliud dignitate; ita Rex præcedit Principes.

Prioritas naturæ est illa, quæ reperitur inter ea quæ sunt in eodem instanti, sed tamen unum dependet ab alio. Illa autem prioritas est duplex, nempè prioritas naturæ in quo, & prioritas naturæ à quo. Prioritas naturæ in quo est inter ea quorum unum dependet ab alio in suo esse, qualis est illa quæ reperitur inter Solem & lucem: Sol enim dat esse luci, & lux non dat esse Soli. Prioritas naturæ à quo est inter ea quæ à se mutuo dependent in diverso genere causæ, ut materia & forma: siquidem materia dependet à formâ tanquam à causa formali. Forma verò dependet à materiâ tanquam à causâ materiali.

Dicendum est 4. Simultatem definiri *modum quo res aliqua dicitur esse simul cum alia; vel tempore*, itaut simul realiter existant; *vel simul natura*, itaut ab invicem dependeant, & unum non possit esse sine alio.

Dicendum est ultimo modum habendi esse. *Illud quo unum dicitur aliud habere.* De alio post-prædicamento scilicet de motu fusè agetur in Metaphysica. Sic ergo absolutus maneat tractatus de prædicamentis.



SECUNDA PARS
LOGICÆ

De his quæ ſpectant ad ſecundam mentis operationem.



ECUNDA mentis operatio eſt judicium, quo intellectus judicat rem convenire, vel non convenire : oratio autem quæ illam operationem dirigit eſt enuntiatio, ſive interpretatio, vel propoſitio. Illa omnia ſortitur nomina,quia per talem orationem enuntiamus, interpretamur & proponimus noſtræ mentis ſententiam : ſed quia jam in Logicâ minori plurima diximus de propoſitione ; unicam dumtaxat quæſtionem complectetur iſta ſecunda Logicæ pars.



QUÆSTIO UNICA.

De Propositione.

IN duos dumtaxat Articulos dividetur ista quæstio. In primo quæreretur utrum propositio sit tantum unus simplex actus, vel utrum sit aliquid compositum ex pluribus actibus intellectus. In secundo quæretur utrum propositiones de futuro contingenti sint veræ vel falsæ ante divinum decretum.



ARTICULUS I.

Vtrum propositio sit simplex qualitas.

NOtandum est ibi non disputari de propositione vocali vel scriptâ, quia constat illas esse compositas ex multis vocibus & terminis. Sed solum agitur de propositione mentali, & quæritur utrum propositio mentalis quâ intellectus affirmat vel negat prædicatum de subjecto, sit aliquid compositum ex plurimis actibus intellectus, quorum uno attingat subjectum, & alio prædicatum, & altero unionem subjecti cum prædicato. Quare

Dicendum est. Propositionem mentalem esse unum simplicem actum intellectus.

Prob. propositio nihil aliud est, quàm judicium quo intellectus judicat aliquid inesse vel non inesse alteri; atqui hujusmodi judicium est actus simplex intellectus; ergo propositio mentalis est unus simplex actus intellectus. Prob. min. judicare unum inesse vel non inesse alteri, est simul intelligere subjectum cum prædicato: atqui hoc fit per unum actum simplicem; ergo judicium est unus actus simplex. Prob. min. ille actus quo concipimus subjectum & prædicatum divisivè & seorsim, non est judicium, sed simplex apprehensio; bene tamen ille actus qui componit & unit prædicatum cum subjecto: atqui componere prædicatum cum subjecto, est simul intelligere utrumque per unum actum simplicem; ergo cum judicium sit unus actus simplex, & cum propositio sit judicium, sequitur evidenter propositionem esse unum actum simplicem intellectus.

Obj. 1. Propositio vocalis est composita; ergo propositio mentalis debet esse composita, cum propositio vocalis repræsentet propositionem mentalem.

Resp. neg. conf. & paritatem. Ratio disparitatis est quia illa quæ sunt divisa in inferioribus, sunt unita in superioribus: cum autem intellectus sit superior & perfectior organo corporeo, potest ipse intellectus exprimere unionem prædicati cum subjecto unico actu, & organum corporeum non potest exprimere nisi per multas voces.

Obj. 2. Aristoteles vocat propositionem mentalem compsitā plurimis concepti bus intellectus; ergo propositio mentalis est cōposita.

Resp. dist. ant. propositio mentalis est composita ex plurimis conceptibus intellectus virtualiter, objectivè, & præsupositive; con. formaliter, & intrinsece, nego; quia quadruplex est compositio operationum, scilicet formalis, virtualis, objectiva, & præsuppositiva. Compositio formalis est quando operatio constat ex plurimis actibus intellectus. Compositio virtualis est quando vnicus actus est æquivalens pluribus. Compositio objectiva est quando sunt multi conceptus objectivi ab intellectu apprehensi. Compositio præsuppositiva est quando simplex actus præsupponit plures alios. Propositio autem mentalis non est composita compositione formali, quia non componitur pluribus actibus intellectus, ut patet ex dictis in conclusionis probatione. Propositio tamen est composita compositione virtuali, quia æquivalet pluribus actibus; ipse enim solus actus efficit quidquid facerent plurimi, si adessent, propositio est etiam composita compositione objectiva, quia intellectus judicando prædicatum convenire subjecto per actum simplicem componit conceptum objectivum prædicati cum conceptu objectivo subjecti ut in istâ propositione, *homo est animal* intellectus judicando animal inesse homini, componit conceptum objectivum animalis cum conceptu objectivo hominis. Propositio denique mentalis est composita compositione præsuppositivâ, quia intellectus

non potest unico actu totam rem cognoscere: & ideo uno actu cognoscit essentiam, & altero cognoscit proprietates.

Obj. ultimo. Si judicium esset unus actus simplex, sequeretur quod unico actu intellectus apprehenderet plura objecta, v. g. in ista propositione, *homo non est lapis*, intellectus apprehenderet naturam hominis & naturam lapidis: atqui intellectus non potest unico actu apprehendere plura objecta; ergo judicium non est actus simplex.

Resp. dist. sequelam maj. sequeretur quod intellectus apprehenderet plura objecta, sub ratione unius con. apprehenderet plura objecta, ut plura nego, quia intellectus apprehendit illa objecta quatenus uniuntur in una affirmatione vel negatione.



ARTICULUS II. ET ULT.

Vtrum propositiones contingentes de futuro habeant determinatam veritatem independenter à decreto divinæ voluntatis.

NOtandum est 1. Decretum Dei esse actum internum & determinationem divinæ voluntatis, qua Deus statuit aliquid facere vel permittere. Unde decretum Dei est duplex, scilicet unum est positivum quo Deus decrevit concurrere positive ad entita-

tem cujuscumque actionis. Aliud vero est permissivum, & est illud quo Deus statuit permittere malitiam & deformitatem peccati denegando auxilium necessarium ad illam malitiam fugiendam.

Notandum est 2. Quod licet nullum sit à parte rei instans reale in quo Deus possit concipi indeterminatus circa futuritionem vel non futuritionem, tamen distinguntur à Theologis tria instantia. In primo instanti Deus concipitur indeterminatus circa futuritionem vel non futuritionem; in secundo instanti Deus concipitur se determinans; in tertio instanti Deus concipitur determinatus.

Notandum est 3. quod duplex est scientia in Deo: scilicet scientia simplicis intelligentiæ, & scientia visionis. Scientia simplicis intelligentiæ est illa per quam Deus cognoscit res possibiles. Scientia visionis est illa per quam Deus cognoscit res futuras; illa autem scientia visionis, modo vocatur practica & approbationis, quando versatur circa bona quæ Deus approbat & quæ facit, modo vocatur scientia improbationis, quando versatur circa mala quæ Deus non approbat, sed tantum permittit: præter illas scientias, aliam in Deo admittunt scientiam Antithomistæ, quam vocant scientiam mediam. Quia mediat inter scientiam simplicis intelligentiæ & scientiam visionis; per illam autem scientiam intelligunt aliquam scientiam, quâ Deus videt omnia futura conditionata ante suum decretum; v.g. Deus videt quid faceret Petrus si in tali & tali circumstantiâ poneretur, & postea Deus sese accommo-

dando Petro determinat aliquid fieri à Petro: sed illa scientia non potest admitti, quia ante decretum omnia sunt in statu meræ possibilitatis.

Notandum est 4. Contingens esse illud quod potest esse & non esse. Futurum vero, illud quod est determinatum in causâ ad habendam existentiam pro duratione sequenti.

Notandum est ultimo ibi difficultatem esse? utrum in illo instanti rationis in quo Deus concipitur indeterminatus, detur aliqua propositio contingens vera; hoc est quæ enunciet rem aliquam habituram esse existentiam vel dependenter à determinatione causæ primæ, vel dependenter à determinatione causæ secundæ; utrum ista propositio *Petrus orabit*, sit vera, hoc est utrum enuntiet orationem Petri infallibiliter habituram esse existentiam, vel ex eo quod Petrus se determinabit ad orandum, vel ex eo quod Deus determinavit Petrum esse oraturum.

Dicendum est propositiones contingentes de futuro habere solùm determinatam veritatem dependenter à decreto divinæ voluntatis.

Prob. 1. Authoritatibus. Ab illo propositiones sunt veræ à quo objecta propositionum sunt determinatè futura: atqui objecta propositionum sunt determinate futura dependenter à decreto divinæ voluntatis; ergo propositiones de futuro contingentes sunt veræ dependenter à decreto divinæ voluntatis. Prob. min. Sanctus Thomas 1. Parte Quæstione decima sexta. Articulo 7. ad Tertium: ait, *illud quod nunc est ex eo futurum*

fuit, antequam esset : quia in causâ erat ut fieret ; illa autem causa est causa æterna, scilicet Deus : Sanctus etiam Augustinus Tractatu sexagesimo octavo in Joannem docet, *quod Deus facit futura ea prædestinando sive decernendo* ; ergo ex mente sancti Thomæ, & sancti Augustini, objecta propositionum sunt futura dependenter à decreto divinæ voluntatis.

Prob. 2. Ratione. Si objecta propositionum essent futura antecedenter ad decretum ; vel futuritio conveniret illis objectis ex se & ex naturâ suâ ; vel ex causalitate Dei ; vel ex causalitate alterius causæ : atqui futuritio non potest antecedenter ad decretũ convenire illis objectis ex se, & ex naturâ suâ ; neque ex causalitate causæ primæ ; neque ex causalitate causæ secundæ ; ergo objecta propositionum non sunt futura antecedenter ad decretum. Prob. min. quo ad omnes partes.

Primò futuritio non potest convenire illis objectis ex se & ex natura sua, quia sequeretur quòd illa objecta essent futura necessaria, non vero libera : atqui illa objecta propositionum non possunt esse futura necessaria ; ergo futuritio non potest illis convenire ex se & ex naturâ sua. Prob. sequela majoris. Futuritio cõveniret illis objectis necessariò ; ergo illa objecta essent futura necessaria, non vero libera. Prob. ant. quod convenit alicui ex se & ex naturâ suâ, convenit illi necessario : atqui futuritio conveniret illis objectis ex se & ex naturâ suâ ; ergo conveniret illis necessariò.

Secundò

Secundò. Futuritio non potest illis objectis convenire ex causalitate Dei, quia sequeretur quòd Deus esset agens necessarium, non vero liberum : atqui illud non potest dici; ergo nec aliud. Prob. sequela maj. illud agens est necessarium quod agit sine determinatione : sed si futuritio conveniet illis objectis ex causalitate Dei ante decretum, Deus ageret sine determinatione : ergo Deus esset agens necessarium.

Tertiò. Futuritio non potest illis objectis convenire ex causalitate alterius causæ, quia omnis causalitas causæ secundæ dependet à causalitate causæ primæ : ergo cum ante decretum non sit causalitas causæ primæ, non est etiam causalitas causæ secundæ.

Obj. 1. Natura propositionum contradictoriarum est,ut una sit vera,& altera falsa: atqui istæ propositiones,*Petrus disputabit,Petrus non disputabit*, sunt propositiones contradictoriæ ante decretum ; ergo una debet esse vera & altera falsa ante decretum.

Resp. 1. Neg. maj. quia lex propositionum contradictoriarum non est, ut una sit vera & altera falsa ; sed quod si una sit vera, altera debet esse falsa, quia utraque non potest esse simul vera vel simul falsa.

Resp. 2. Con. maj. & dist. min. illæ propositiones sunt contradictoriæ ante decretum, grammaticaliter con. formaliter nego : quia licet illæ propositiones videantur habere aliquam formam contradictionis, secundum grammaticalem terminorum dispositionem, non tamen sunt contradictoriæ formaliter: ut enim inter duas propositiones reperiatur

formalis contradictio, significatum unius debet repugnare significato alterius, quod non reperitur in illis propositionibus ante decretum, quia in signo antecedente decretum illæ propositiones non habent veritatem neque falsitatem; & ita inter se non repugnant.

Instabis. Atqui illæ propositiones habent determinatam veritatem vel falsitatem ante decretum; ergo sunt propositiones contradictoriæ formaliter. Prob. subs. illæ propositiones sunt de objecto determinato; ergo habent veritatem vel falsitatem ante decretum. Prob. ant. quod est futurum est determinatum: sed illæ propositiones sunt de objecto futuro; ergo sunt de objecto determinato.

Respondeo negando subs. ad cujus prob. nego ant. & dist. maj. quod est futurum proprie dictum, est determinatum concedo. Quod est futurum impropriè tantum & denominativè, est determinatum neg. quia non datur futurum proprie dictum ante decretum, quia nihil est determinatum: & ita futurum quod est ante decretum, est tantum futurum denominatvè, hoc est ita solet nominari, licet non participet veram & propriam rationem futuri.

Obj. 2. Nulla potest esse propositio quæ non sit vera vel falsa; ergo propositiones contingentes de futuro sunt veræ vel falsæ ante decretum. Prob. ant. veritas vel falsitas sunt proprietates propositionis sed: proprietates non possunt separari; ergo veritas vel falsitas non possunt separari à propositione. Et proinde nulla potest esse propositio quæ non sit vera vel falsa.

Resp. 1. neg. ant. ad cujus prob. dist. maj. veritas & falsitas sunt proprietates propositionis relativæ con. proprietates absolutæ neg. quia duplex est proprietas; una est absoluta, & altera est relativa : proprietas absoluta est illa quæ consequitur naturam rei, & quæ existit sine ordine ad aliud. Et ita risibilitas est proprietas absoluta hominis, quia cõsequitur naturam hominis & existit sine ordine ad aliud. Proprietas relativa est illa quæ non consequitur naturam rei, & quæ existit tantùm per ordinem ad aliud. Et ita veritas est proprietas relativa propositionis, quia non consequitur naturam propositionis, & convenit illi tantum per ordinem ad objectum tanquam ad principium formale & proximum, & per ordinem ad decretum tanquam ad principium radicale & remotum.

Resp. 2. Neg. ant. ad cujus prob. dist. min. proprietates non possunt separari à subjecto pro aliquo instanti reali con. pro aliquo instanti rationis neg. quia cum propositio sit subjectum quod recipit proprietates, & cum subjectum possit concipi saltem per aliquod instans rationis sine proprietatibus, ista propositio potest concipi sine veritate & falsitate.

Inst. atqui propositio non potest concipi sine veritate vel falsitate; ergo nulla solutio. Prob. subs. sicut se habet par & impar ad numerum, ita se habet verum vel falsum ad propositionem : atqui numerus non potest concipi sine paritate vel imparitate; ergo propositio non potest concipi sine veritate vel falsitate.

Resp. 1. Neg. subs. ad cujus prob. nego maj. quia paritas & imparitas sunt proprietates absolutæ numeri; siquidem sequuntur naturam numeri: sed veritas vel falsitas sunt tantùm proprietates relativæ propositionis (ut jam dictum fuit) & ita eodèm modo non se habet veritas aut falsitas respectu propositionum, quo se habet par & impar respectu numeri.

Resp. 2. Neg. subs. ad cujus prob. gratis concessa majori dist. min. paritas vel imparitas non potest separari à numero, pro aliquo instanti reali con. pro aliquo instanti rationis neg. quia paritas & imparitas sunt proprietates numeri; proprietates autem possunt separari à numero pro aliquo instanti rationis (ut jam dictum fuit.)

Obj. 3. Si futura essent futura dependenter à decreto, haberét infallibilem connexionem cum decreto, & ita infallibiliter evenirent: atqui multa sunt futura quæ non habent infallibilem connexionem cum decreto, scilicet peccata futura; & multa sunt futura quæ infallibiliter non eveniunt juxta illud Arist. *futurus quis incedere, qui non incedet*; ergo futura non sunt futura dependenter à decreto.

Resp. 1. Dist. 1. partem min. peccata futura non habent cum decreto infallibilem connexionem Physicam & causalitatis con. Logicam & illationis neg.: quia. decretum permissivum Dei non influit Physicè in peccata; & ita peccata futura non habent infallibilem connexionem Physicam & causalitatis cum decreto permissivo. Habent tamen connexionem Logicam & illationis,

quia posito decreto infertur, illa peccata esse infallibiliter futura; siquidem decretum permissivum importat præmotionem Physicam ad entitatem actus peccaminosi, & negationem auxilii specialis quod est necessarium ad evitandam malitiam peccati.

Resp. 2. dist. secundam partem min. Multa sunt futura secundum quid quæ infallibiliter non eveniunt conc, multa sunt futura simpliciter & absolutè neg. quia duplex datur futurum, scilicet futurum secundum quid, & futurum simpliciter. Futurum secundum quid est illud, quod dependet à determinatione causæ secundæ; quæ cum sit mutabilis, illa futura secundum quid possunt non evenire. Futurum simpliciter est illud quod dependet à determinatione causæ primæ, quæ cum sit immutabilis, futura simpliciter debent infallibiliter evenire.

Obj. 4. Ista propositio disjunctiva *Petrus disputabit*, vel *Petrus non disputabit* est vera ante decretum; ergo una pars illius propropositionis disjunctivæ est etiam vera ante decretum: sed una pars istius propositionis est propositio de futuro contingenti; ergo propositio de futuro contingenti est vera ante decretum.

Resp. neg. consequentiam, quia licet propositio disiunctiva sit vera ante decretum; tamen una pars propositionis seorsim sumptæ non potest esse vera. Ideo autem propositio disiunctiva est vera, quia est in materiâ necessariâ; reducitur enim ad illud primum principium *quodlibet est vel non est*: una autem pars illius propositionis disjunctivæ non

est vera ante decretum, quia illa pars seorsim sumptâ est in materiâ contingenti.

Obj. 5. Mala non sunt futura à decreto; ergo objecta quarumdam propositionum non sunt futura à decreto.

Resp. dist. ant. Mala non sunt futura à decreto positivo conc. à decreto permissivo neg. Quia Deus licet prohibeat mala, potest tamen permittere quia non tenetur dare gratiam necessariam ad evitandum peccatum.

Obj. ultimo. Ista propositio negativa, Antichristus non erit, est determinatè vera ante decretum. Quia enuntiat rem sicuti est; ergo datur aliqua propositio de futuro contingenti vera ante decretum. Prob. ant. Antichristus est non futurus ante decretum: sed ista propositio enuntiat Antichristum non futurum: ergo enuntiat rem sicuti est.

Resp. neg. ant. ad cujus prob. dist. maj. ante decretum Antichristus est non futurus negativè, conc. positivè neg. Quia ante decretum nihil est determinatè futurum, vel non futurum.

Instabis. Non datur medium inter futurum & non futurum; ergo ante decretum Antichristus vel est futurus, vel non futurus.

Resp. dist. ant. Non datur medium, quod participet aliquid ab utroque extremo, scilicet futuro vel non futuro con. non datur medium, hoc est indifferens neg. Quia cum ante decretum nihil sit determinatum, omnia sunt indifferentia.



TERTIA LOGICÆ PARS.

De his quæ ſpectant ad tertiam mentis operationem.

CUM tertia mentis operatio, ſcilicet diſcurſus dirigatur per argumentationem; de illâ agetur in iſtâ tertiâ Logicæ parte, quæ unicam complectetur quæſtionem.



QUÆSTIO UNICA.

De Argumentatione.

ARGUMENTATIO quæ eſt *oratio in quâ unum infertur ex alio*, dividitur in plurimas ſpecies, quarum præcipua

est sillogismus; ex cujus definitione jam traditâ in Logica minori, duæ oriuntur difficultates, quæ in duobus articulis resolventur. In primo quæretur utrum assensus præmissarum concurrat efficienter ad assensum conclusionis. In secundo & ultimo utrum assensus præmissarum necessitet intellectum ad assensum conclusionis.



ARTICULUS I.

Vtrum assensus præmissarum concurrat efficienter ad assensum conclusionis.

NOtandum est, præmissas sumi dupliciter, scilicet formaliter & objectivè. Præmissæ sumptæ formaliter sunt actus intellectus, quibus judicat prædicatum convenire subjecto. Præmissæ objectivæ sunt res quæ attinguntur ab intellectu, vel ipsa realis unio prædicati cum subjecto. Tota igitur difficultas procedit de præmissis formaliter sumptis.

Dicendum est assensum præmissarum concurrere efficienter ad assensum conclusionis.

Prob. Quod movet & determinat intellectum ad producendum aliquem actum, concurrit efficienter ad productionem illius actus; & ideo, quia species impressa movet intellectum ad cognoscendum objectum, di-

citur concurrere effectivè: atqui assensus præmissarum movet & determinat intellectum ad assensum conclusionis; in hoc enim consistit discursus demonstrativus, ut ex una cognitione, intellectus se moveat ad aliam cognitionem; ergo assensus præmissarum concurrit efficienter ad assensum conclusionis.

Obj. 1. Assensus præmissarum non existit quando est assensus conclusionis, quia transacto assensu præmissarum assentimur conclusioni; ergo assensus præmissarum non est causa efficiens conclusionis.

Resp. dist. ant. Assensus præmissarum non existit formaliter conc. virtualiter neg. quia licet assensus præmissarum formaliter sit transactus quando assentimur conclusioni; virtualiter tamen existunt præmissæ.

Obj. 2. Unus actus non potest producere alium actum sibi similem; ergo assensus præmissarum non potest efficienter causare conclusionem.

Resp. dist. ant. Unus actus qui virtualiter alium non continet, non potest alium producere conc. unus actus qui virtualiter alium continet neg. quia assensus præmissarum virtualiter continet assensum conclusionis, quatenus assensus præmissarum movet & determinat intellectum ad assensum conclusionis.

Obj. ultimò. Si præmissæ efficienter causarent conclusionem, Deus posset supplere talem efficientiam. Quia Deus potest facere per seipsum quod facit per causam secundam efficientem: atqui illud non potest dici. Quia sic inferretur conclusio sine præmissis; ergo assensus præmissarum non concurrit efficien-

ter ad aſſenſum concluſionis.

Reſp. diſt. prob. maj. Deus poteſt facere per ſeipſum, quidquid facit per cauſam ſecundam efficientem ſi nulla ſit imperfectio & dependentia conc. ſi aliqua ſit imperfectio & dependentia neg. Quia concluſio dependet eſſentialiter à præmiſſis; & ita non poteſt eſſe concluſio ſine præmiſſis.



ARTICULUS ULTIMUS.

Vtrum aſſenſus præmiſſarum neceſſitet intellectum ad aſſenſum concluſionis.

NOtandum eſt. Duplicem eſſe neceſſitatem, ſcilicet neceſſitatem quoad ſpecificationem, & neceſſitatem quoad exercitium. Neceſſitas quoad ſpecificationem eſt, quando una potentia eſt ita determinata ad eliciendum aliquem actum, ut non poſſit elicere oppoſitum; ita voluntas eſt ita determinata ad amandum bonum, ut illud non poſſit odio habere ſub ratione boni; & ita voluntas dicitur neceſſitari ad bonum quoad ſpecificationem. Neceſſitas quoad exercitium eſt, quando una potentia eſt ita determinata ad eliciendum aliquem actum, ut non poſſit ceſſare ab illo actu: Quæritur ergo? utrum conceſſis præmiſſis intellectus neceſſitetur quoad ſpecificationem ad aſſenſum concluſionis; ita ut oppoſitæ & contrariæ concluſioni non poſſit aſſenſum præbere, & utrum etiam neceſſitetur quoad exercitium, hoc eſt?

utrum concessis præmissis intellectus possit suspendere assensum conclusionis.

Dicendum est. Assensum præmissarum necessitare intellectum ad assensum conclusionis, non solum quoad specificationem, sed etiam quoad exercitium.

Probatur prima pars conclusionis. Intellectus concessis præmissis non potest elicere conclusionem oppositam. Quia non potest dissentiri conclusioni veræ ut vera est; ergo intellectus necessitatur quoad specificationem. Probatur antecedens. Voluntas non potest odio habere bonum, ut bonum est; ergo nec intellectus potest dissentiri conclusioni veræ, ut vera est.

Probatur secunda pars conclusionis. Intellectus concessis præmissis non potest suspendere conclusionem: ergo necessitatur quoad exercitium. Probatur ant. Potentia naturalis & necessaria non potest suspendere suum actum, quando posita sunt omnia necessario prærequisita ad agendum; ergo cum intellectus sit potentia necessaria, & cum præmissæ sint illud omne quod necessario prærequiritur ut intellectus operetur, intellectus non potest suspendere conclusionem.

Obj. 1. Si intellectus necessitaretur ad assensum conclusionis, moveretur necessariò à voluntate ad talem assensum. Quia intellectus subditur voluntati quoad exercitium: atqui intellectus non potest moveri necessariò à voluntate ad assensum conclusionis; ergo intellectus non necessitatur ad assensum conclusionis. Probatur min. Si intellectus moveretur necessario à voluntate, ipsa volun-

tas moveretur etiam necessario à conclusione; & proinde ab aliquo bono in particulari. Quia conclusio vera est aliquod bonum particulare juxta doctrinam sancti Thomæ; atqui voluntas non potest moveri necessariò ab aliquo bono particulari; ergo non potest moveri necessariò à conclusione verâ.

Resp. neg. min. ad cujus prob. dist. aliam min. Voluntas non potest moveri necessariò necessitate absolutâ conc. necessitate ex suppositione nego; quia licet necessitas absoluta non possit esse in voluntate; necessitas tamen ex suppositione potest illi convenire: illa autē necessitas ex suppositione consistit in hoc, quod si voluntas mota fuerit ab aliquo bono particulari, movetur etiam ab illo cum quo tale bonum habet necessariam connexionem; illa autem necessitas ex suppositione non tollit libertatem; reperitur enim in Deo, licet Deus sit agens liberrimum. Nam posito quòd Deus decreverit salvare aliquem, tenetur ex suppositione dare illi gratiam. Et ita voluntas non potest impedire assensum conclusionis, posito quod moverit intellectum ad assensum præmissarum: quia conclusio & præmissæ habent necessariam connexionem.

Obj. ultimò. Sicut se habet voluntas ad bonum, ita se habet intellectus ad verum: sed voluntas non necessitatur ad bonum quoad exercitium; ergo intellectus non necessitatur ad verum quoad exercitium.

Resp. dist. maj. Sicut se habet voluntas ad bonum quoad specificationem; ita se habet intellectus ad verum quoad specificationem con. sicut se habet voluntas ad bonum quoad exercitium

exercitium; ita se habet intellectus ad verum quoad exercitium neg. quia in hoc conveniunt voluntas & intellectus, quòd sicuti voluntas necessitatur ad bonum quoad specificationem, hoc est non potest odio habere bonum; ita intellectus necessitatur ad verum quoad specificationem, hoc est non potest assentiri falso: sed in hoc differunt quòd licet voluntas (cum sit potentia libera) non necessitetur ad bonum quoad exercitium; intellectus tamen cum sit potentia necessaria necessitatur ad verum quoad exercitium.

Finis Logicæ.





TRACTATUS DE LOGICA RECENTIORUM.



NTER recentiores Philosophos præcipuum locum obtinent Cartesius, & Gassendus. Ideo in duabus quæstionibus utriusque Logica refutabitur.



QUÆSTIO I.

De Logicâ Cartesii.

DUO præcipuè principia continet Logica sive Methodus Cartesii. Primum principium est *Semel in vitâ dubitandum esse de omnibus.* Secundum principium est, quòd *illud omne est verum quod clarè & distinctè percipitur.* Illa duo principia in duobus articulis rejicientur.



ARTICULUS I.

De primo Cartesii principio.

NOtandum est. Quòd Cartesius docet *Semel in vitâ dubitandum esse de omnibus rebus sensibilibus, quia omnes illæ cognitiones sunt incertæ.* Proveniunt enim à sensibus qui interdum nos fallunt, & proinde non debemus illis fidere. Docet præterea quod non tantum debemus dubitare de rebus incertis & dubiis, sed etiam *de rebus certissimis, & evidentissimis.* Docet etiam quòd *debemus habere illas res evidentissimas & certissimas pro falsis*; ita ut ille qui vult ad certissimam veritatis cognitionem pervenire, debet supponere nullum esse Deum, nullum cælum, nulla corpora, nosque etiam non habere pedes neque manus.

Dicendum est 1. Illud Cartesii principium esse inutile.

Probatur. Ex illâ dubitatione non potest sequi cognitio clarior & certior: ergo illud Cartesii principium, quod docet dubitandum esse de omnibus, est inutile. Probatur ant. Illa cognitio non est clarior & certior, quæ non provenit à principio certiori: atqui cognitio quæ sequitur ex dubitatione, non provenit à principio certiori: ergò cognitio quæ sequitur ex dubitatione non est certior. Prob. min. Cognitio quæ sequitur ex dubitatione

provenit semper à sensibus, quæ sunt principia tam incerta post dubitationem, quam ante dubitationem; ergo illa cognitio non provenit ex principio certiori.

Dicendum est 2. Principium Cartesii docere aliquid impossibile.

Probatur. Cartesii principium docet non tantum dubitandum esse de rebus incertis, sed etiam de rebus certissimis: atqui impossibile est, quòd intellectus dubitet de rebus certissimis & evidentissimis: ergo Cartesii principium docet aliquid impossibile. Prob. min. Intellectum dubitare de rebus certissimis & evidentissimis, est intellectum denegare assensum cõnclusionibus veris: atqui intellectus non potest denegare assensum conclusionibus veris. Quia intellectus est potentia necessaria, quæ debet necessario agere quando ponuntur omnia necessariò prærequisita; ergo intellectus non potest dubitare de rebus certissimis & evidentissimis.

Dicendum est 3. Primum Cartesii principium involvere contradictionem.

Probatur. Illud Cartesii principium docet dubitandum esse, & non dubitandum; ergo cum dubitare & non dubitare sit contradictio, illud primum Cartesii principium involvit contradictionem. Prob. ant. 1. Docet dubitandum esse (ut supponitur.) 2. Docet non esse dubitandum (ut probatur) quia Cartesius numero secundo docet. Quòd *illa etiam de quibus dubitamus utile erit pro falsis habere*: atqui docere quòd illa de quibus dubitamus utile erit pro falsis habere, est docere non dubitandum de omnibus: ergo sententia Car-

tesii docet dubitandum & non dubitandum. Probatur minor. Docere quod illa de quibus dubitamus utile est habere pro falsis, est docere opposita habere pro veris. Quia opposita non possunt esse simul falsa. v. g. quando habeo pro falso quòd Sol sit, oppositum habeo pro vero, scilicet quod Sol non est : atqui docere opposita illis quæ habemus pro falsis esse vera, est docere non esse dubitandum de illis : ergo primum Cartesii principium involvit contradictionem. Ipsa etiam contradictio patet ex ipsis Cartesii scriptis; nam (ut jam dictum fuit) ipse Cartesius docet absolutè *dubitandum esse de omnibus.* Et meditatione prima, satis post principium oppositum docet his verbis ; *sed fortè quamvis interdum sensus circa minuta quædam & remotiora nos fallant ; pleraque tamen alia sunt, de quibus dubitari planè non potest , quamvis ab iisdem hauriantur, ut jam me hîc esse, Cartam istam manibus contrectare, & similia : manus verò has, totumque hoc corpus meum esse quâ ratione posset negari ; nisi fortè me comparem nescio quibus insanis , quorum cerebella tam contumax vapor, & atra bilis labefactat, ut constantes asseverent, se esse reges cum sint pauperrimi, & purpurâ indutos cum sint nudi : sed amentes sunt isti : nec minus demens viderer, si quod exemplum ab ipsis ad me transferrem.*

Obj. 1. Homo potest denegare assensum cognitionibus certissimis & evidentissimis; ergo primum Cartesii principium docens dubitandum esse de omnibus, non docet aliquid impossibile. Prob. ant. Homo est liber; ergo potest denegare assensum cognitionibus cer-

tissimis & evidentissimis.

Resp. neg. ant. ad cujus probationem dist. ult. ant. Homo est liber secundum voluntatem conc. secundum intellectum neg. Quia sola hominis voluntas est potentia formaliter libera ; & ideo positis omnibus ad agendum prærequisitis potest non agere: sed intellectus est potentia necessaria , & proinde positis omnibus ad agendum prærequisitis debet necessariò agere.

Obj. 2. Omnes cognitiones quas habemus de rebus sensibilibus sunt incertæ ; ergo debemus dubitare de existentiâ rerum sensibilium. Prob. ant. Omnes illæ cognitiones proveniunt à principiis incertis & fallacibus , scilicet à sensibus , qui sunt principia incerta & fallacia : ergo omnes illæ cognitiones sunt incertæ. Prob. ant. Sensus errant circa sensibile : ergo sensus sunt principia incerta & fallacia.

Resp. neg. utrumque ant. & dist. ult. ant. Sensus errant circa sensibile commune conc. circa sensibile proprium neg. Quia duplex est sensibile , scilicet sensibile commune , & sensibile proprium. Sensibile commune est illud , quod percipitur à pluribus sensibus ; ut motus potest percipi à visu & à tactu : illud autem sensibile commune est quintuplex, scilicet motus , quies , numerus , figura , & magnitudo : sensibile verò proprium est illud , quod tantum ab uno sensu percipitur ; ut color à visu , sonus ab auditu : verùm quidem est , quòd sensus errant circa sensibile commune v. g. quando auditus percipit sonum Campanæ versus occasum, qui tamen est ver-

ſus orientem, tunc auditus non errat circa ſonum cum ipſum percipiat : ſed errat circa locum qui pertinet ad ſenſibile commune, nempè ad quantitatem, cum locus ſit ſuperficies corporis ambientis, & ſuperficies ſit ſpecies quantitatis : ſenſus verò non errant circa ſenſibile proprium.

Inſtabis. Senſus errant circa ſenſibile proprium. Viſus v. g. percipit in aquâ baculum quaſi fractum, qui tamen non eſt fractus : ergo ſenſus non errant tantùm circa ſenſibile commune.

Reſp. diſt. ant. Senſus errant circa ſenſibile proprium per accidens conc. per ſe neg. Quia ſenſus attingunt quantum eſt de ſe objectum, ut eſt à parte rei ; & ita non errant per ſe. Præterea ſi ſenſus errarent per ſe, ſequeretur quòd Deus nos deciperet, aut ſaltem quod Deus eſſet cauſa noſtræ deceptionis. Quia Deus nobis dediſſet ſenſus ex naturâ ſuâ fallaces, & nobis repræſentantes res aliter ac ſunt in ſe. Senſus ergo errant tantum per accidens. quia aliquando impediuntur nè attingant objectum ut eſt à parte rei ; vel à nimiâ diſtantiâ, ut quando oculus percipit turrim quaſi quadratam quæ tamen non eſt quadrata : vel ratione medii, ut quando oculus percipit in aquâ baculum quaſi fractum qui tamen non eſt fractus ; vel ab indiſpoſitione organi malè affecti, ut quando guſtus febricitantis percipit res quaſi amaras, quæ tamen non ſunt amaræ.

Obj. 3. Prudentiæ eſt non planè confidere illis qui aliquando nos deceperunt : atqui ſenſus aliquandò nos deceperunt ; ergo non de-

bemus confidere sensibus ; & proinde debemus dubitare de omnibus cognitionibus quas habemus à sensibus.

Resp. dist. maj. Prudentiæ est nòn planè confidere illis qui nos per se & semper deceperunt con. qui nos per accidens & interdum tantùm deceperunt nego. Quia licet sensus interdum nos decipiant, non tamen potest dici quòd semper nos decipiant. Ideo enim nos aliquando decipiunt. Quia non sunt benè dispositi, & quia objectum non illis benè applicatur : sed sensus non semper manent in tali indispositione; ergo sensus non semper nos decipiunt: & si semper sensibus denegan-da fides esset. Quia aliquando nos deceperunt, posset dici cum Quintiliano quod *abstinendum esset semper à cibo, quia semel stomacho nocuit*; *vel quia malè conditus*; *vel quia intempestivè comestus : non domorum tecta subire deberemus. Quia superhabitantes aliquando procumbunt : non utendum esset medicis. Quia aliquando mortem ægrotantibus afferunt.*

Instabis. Atqui sensus nos semper decipiunt ; ergo nulla solutio. Prob. sub. sensus semper operantur eodem modo : quia sunt potentiæ necessariæ, quæ (ut docet Arist.) *non indigent aliquâ scientiâ quâ dirigantur, ex eo quod sint determinatæ ad unum & operentur eodem modo* ; ergo si sensus aliquando nos decipiunt semper nos dicipiunt.

Resp. neg. sub. ad cujus prob. dist. ant. sensus operantur semper eodem modo per se con. per accidens neg. quia si illæ potentiæ naturales non semper operentur eodem mo-

do, illud non se tenet ex parte potentiarum, sed ex parte objecti quod non est bene applicatum.

Obj. 4. Si quæ esset ratio, propter quam non deberemus dubitare de omnibus, quia multa sunt quæ clarè & distinctè percipimus v. g. solem esse. Nos habere pedes & manus: atqui illa ratio nulla est; ergo debemus dubitare de omnibus. Prob. min. multa per somnum clarè & distinctè percipimus quæ vera credimus, & tamen non sunt vera. *Quotidiè*, (inquit Cartesius) numero 4. *innumera in somnis videmur sentire aut imaginari, quæ nusquam sunt*; ergo licet vigilando plura clarè & distinctè percipiamus, hoc non impedit quin illa incerta sint, & proinde quin debeamus dubitare de illis.

Resp. neg. min. & ult. conseq. quia absurdum est eodem modo ratiocinari de dormientibus & de vigilantibus. Absurdum est dicere quod sicuti errant somniantes, cum plurima in somno ut vera vident, quæ tamen non sunt vera; ita vigilantes errant dum plura credunt vera; maxima enim est disparitas. Somniantes enim de facto non vident illa vera: sed falso existimant se videre. Vigilantes verò clarè & distinctè de facto vera percipiunt.

Inst. Atqui fortè dormimus, dum illa clarè & distinctè credimus percipere. *Nulla* (inquit Cartesius) numero quartò, *sic dubitanti signa apparent quibus somnum à vigilia certò dignoscat*; ergo debemus timere ne vigilantes fallamur.

Resp. neg. subs. quia si nulla signa appa-

rerent, quibus somnum à vigiliâ certè dignosceremus? Quomodo unquam poterimus verum à falso, dubium à certo, somnia & Chimeras à propriis rerum naturis secernere? Quomodo deniquè audebunt Cartesiani nobis aliquid tanquam certum proponere, cum ipsi nesciant an somnient, an vigilent, illud proponendo.

Obj. ultimo. Plurimi erraverunt circa res certissimas. Immo circa demonstrationes Mathematicas; ergo potuimus nos errare circa illas demonstrationes; & proinde debemus de illis dubitare.


Resp. 1. Neg. ant. quia nullus potest dubitare de quibusdam conclusionibus certissimis, v. g. *ter tria esse novem, & totum esse majus suâ parte.*

Resp. 2. con.ant.& neg.conf. quia licet aliqui erraverint circa res illas certissimas; non sequitur nos errare, non enim debemus dubitare de fide, licet plurimi hæretici erraverint circa fidei dogmata.

Instabis. Debemus dubitare de demonstrationibus Mathematicis, si fortè circa ipsas demonstrationes erravimus: atqui fortè nos erravimus circa demonstrationes Mathematicas; ergo debemus dubitare de illis. Prob. min. Deus nos tales fortè creavit, ut semper fallamur; ergo fortè nos erravimus circa ipsas demonstrationes. Prob. ant. Non repugnat bonitati divinæ nos tales creasse ut interdum fallamur; ergo non repugnat bonitati divinæ nos tales creasse, ut semper fallamur.

Resp. neg. min. & ant. & ad prob. neg.

ult. conseq. Quia si Deus nos tales creasset ut semper falleremur, Deus esset causa nostrorum errorum, & hoc repugnat bonitati divinæ: non autem repugnat bonitati divinæ, quòd Deus permittat ut interdum fallamur. Quia Deus sic non est causa nostrorum errorum, cum nobis dederit lumen necessarium ad evitandos errores, & libertatem ut ipso lumine uteremur, vel non uteremur.



ARTICULUS ULTIMUS.

De secundo Logicæ Cartesianæ principio.

NOtandum est secundum Logicæ Cartesianæ principium esse illud, quòd scilicet, *illud omne est verum quod clarè & distinctè percipitur.* Ad illud principium addit unam regulam, quæ ferè cum isto principio coincidit, nempè *nihil admittendum esse ut verum nisi illud quod evidenter apparet verum.*

Dicendum est 1. Non verum esse in omnibus Cartesii principium, scilicet *illud omne est verum quod clarè & distinctè percipitur.*

Prob. Verum non est illud principium, si intellectus clarè & distinctè quantum est ex se, percipiens aliquod objectum possit falli: atqui intellectus clarè & distinctè quantum est ex se percipiens aliquod objectum potest

falli; ergo non eſt verum illud principium. Prob. min. Plurima ſunt quæ poſſunt efficere, ut ipſe intellectus fallatur; poteſt enim fieri, quòd intellectus non habeat ſufficiens lumen ad illud objectum penetrandum; poteſt fieri quod objectum repræſentetur aliter ac eſt; poteſt fieri quod debitè non applicabitur; ergo intellectus clarè & diſtinctè percipiens objectum poteſt falli.


Obj. Quod habet evidentiam eſt verum: ſed quod clarè & diſtinctè percipitur habet evidentiam; ergo quod clarè & diſtinctè percipitur eſt verum.

Reſp. diſt. maj. Quod habet evidentiam perſonalem & abſolutam eſt verum con. quod habet evidentiam perſonalem tantum neg. Similiter diſtinguenda eſt minor propoſitio. Quod clarè & diſtinctè percipitur habet evidentiam perſonalem conc. habet evidentiam abſolutam neg. Quia licet aliquis clarè & diſtinctè percipiat aliquod objectum non rectè infertur illud eſſe ſimpliciter verum; ſed tantum illud eſſe evidens evidentiâ perſonali, quæ non ſufficit ut aliquod objectum ſit verum. Quia ſi illa evidentia ſufficeret, ſequeretur duas propoſitiones contradictorias eſſe ſimul veras; ſiquidem Carteſiani & Peripatetici habent evidentiam perſonalem circa duas propoſitiones contradictorias.

Dicendum eſt 2. & ultimo. Falſam eſſe Carteſii regulam, in quâ dicit *nihil admittendum eſſe ut verum, niſi illud quod evidenter apparet verum.*

Prob. Ipſa Carteſii doctrina deſtruit illam regulam: ergo illa regula Carteſii non eſt

est admittenda. Prob. ant. Cartesius multa docet ut vera, quæ ipsi non apparent vera; ergo ipsa Cartesii doctrina ipsam Cartesii regulam destruit. Prob. ant. Cartesius docet ut verum, non dari formas accidentales, & tamen illud non illi apparet evidenter verum; fatetur enim se non negare accidentia; sed illa non admittere. Quia hactenus illa non cognovit; ergo Cartesius docet ut vera quæ ipsi non apparent evidenter vera.



QUÆSTIO II.

De Logicâ Gassendi.

SUAM Logicam Gassendus vocat *Canonicam* sive *de Criteriis*. Quia in eâ tradit Canones, sive regulas ad veritatem inveniendam. Hos Canones vocat Criteria sive instrumenta judicandi. Tria autem admittit Criteria ad inveniendam veritatem in omnibus rebus. Quia res omnes de quibus veritas inquiri potest, in tres quasi ordines dividuntur, scilicet in res sensibiles, hoc est quæ percipiuntur à sensibus. In res intelligibiles, hoc est quæ sensum fugiunt. Et in res morales: Primum autem Criterium quod admittit ad cognoscendam veritatem in rebus sensibilibus, est sensus. Secundum Criterium ad inveniendam veritatem in rebus intelligibilibus, est anticipatio. Tertium

Criterium ad inveniendam veritatem in rebus moralibus, est passio. De illo tertio Criterio agetur in morali. De aliis duobus ibi agetur: tota ergo Gassendi Logica in duobus articulis rejicietur.



ARTICULUS I.

De primo Gassendi Criterio ad inveniendam veritatem in rebus sensibilibus.

NOtandum est. Quod Gassendus ad confirmandum, sensum esse Criterium infallibile ad inveniendam veritatem in rebus sensibilibus, statuit quatuor Canones sive regulas. Primus Canon est quod *sensus nusquam fallitur.* Secundus, quod *opinio quæ vulgo mens vocatur, sive intellectus, est sola in quam cadit veritas aut falsitas.* Tertius est, quod *illa opinio est vera, cui vel suffragatur, vel non refragatur sensûs evidentia.* Quartus denique est, quod *illa opinio est falsa cui vel refragatur, vel non suffragatur sensûs evidentia.* Ex illis regulis conjicit Gassendus, sensum esse Criterium infallibile ad inveniendam veritatem in rebus sensibilibus. Illi autem Canones sive regulæ sufficienter rejicientur; si probetur sensum non esse Criterium infallibile ad inveniendam veritatem in rebus sensibilibus. Quare

Dicendum est sensum non esse Criterium infallibile ad inveniendam veritatem in rebus sensibilibus.

Probatur. Quod per se non est principium infallibile, non est etiam Criterium infallibile ad cognoscendam veritatem in rebus sensibilibus: atqui sensus non est principium infallibile; ergo sensus non est Criterium infallibile. Prob. min. Quod interdum per accidens fallitur, non est principium infallibile: atqui sensus interdum per accidens falluntur. Quia apprehendunt rem aliter ac est v. g. oculus percipit solem quasi bipalmarem, & minorem terrâ, gustus febricitantis percipit cibos ut amaros qui tamen non sunt amari; ergo sensus interdum per accidens falluntur; & proinde non sunt Criterium infallibile ad cognoscendam veritatem in rebus sensibilibus. Præterea ex ipsâ Gassendi doctrinâ probatur veritatem non posse reperiri in sensibus; ergo sensus non sunt Criterium infallibile ad cognoscendam veritatem in rebus sensibilibus. Prob. ant. Veritas potest tantum cadere in intellectum (ut patet ex secundo Canone quem ipse Gassendus statuit:) ergo veritas non potest reperiri in sensibus & proinde sensus non sunt Criterium infallibile.

Obj. 1. Sensus nusquam falluntur; ergo sunt Criterium infallibile. Prob. ant. Si sensus aliquando fallerentur esset aliquid, quod posset illos redarguere & corrigere: atqui nihil est quod possit illos redarguere & corrigere; ergo sensus non falluntur. Prob. min. Si aliquid posset redarguere & corrigere ali-

quem ſenſum; vel alter ſenſus, vel ipſe intellectus: atqui neque ſenſus alter, neque ipſe intellectus poteſt ſenſum redarguere; ergo nihil eſt quod poſſit ſenſum redarguere. Prob. min. Quoad omnes partes. 1. Unus ſenſus non poteſt redarguere & corrigere alium ſenſum. Quia unus ſenſus non eſt certior alio, neque unus poteſt attingere objectum alterius. 2. Intellectus non poteſt redarguere ſenſum. Quia intellectus dependet à ſenſibus: ergo unus ſenſus non poteſt redargui ab alio ſenſu, neque ab intellectu.

Reſp. 1. Quod unus ſenſus poteſt redarguere alium ſenſum. v. g. viſus poteſt corrigere tactum; ſi quis enim clauſis oculis tangeret aliquod corpus quod crederet eſſe figuræ quadratæ, dum tamen eſſet alterius figuræ, ipſe tactus tunc corrigeretur à viſu, qui clarè videret tale corpus non eſſe figuræ quadratæ. Quando verò dicitur quòd unus ſenſus non poteſt attingere objectum alterius ſensûs, poteſt diſtingui illa propoſitio. Unus ſensûs non poteſt attingere objectum proprium alterius ſensûs con. non poteſt attingere objectum commune neg. Ratio patet ex jam dictis.

Reſp. 2. Quod intellectus poteſt redarguere & corrigere ſenſum. Quia intellectus nòn dependet à ſenſu, tanquam à cauſa ſuæ certitudinis; ſed tantum tanquam à conditione. Præterea poteſt dici quod intellectus non dependet à ſenſu in omnibus ſuis operationibus. Cognoſcit enim prima principia ſolo lumine naturali independenter à ſenſibus.

Inſtabis. Atqui intellectus non poteſt redarguere ſenſum; ergo nulla ſolutio. Prob. ſubſ. Intellectus non eſt certior ſenſu, cum aliquando fallatur per accidens, quando ſcilicet non eſt benè applicatus: ergo intellectus non poteſt redarguere & corrigere ſenſum.

Reſp. neg. ſubſ. & ant. Quia in hoc conveniunt ſenſus & intellectus, quod ſicut ſenſus fallitur per accidens: ita intellectus fallitur etiam per accidens, & tamen intellectus eſt certior ſenſu. Quia in hoc differunt ſenſus & intellectus, quod intellectus poteſt ſeipſum corrigere & cognoſcere ſuum errorem. Senſus vero non poteſt ſeipſum corrigere. Quia non eſt reflexivus ſupra ſuos actus ſicut intellectus. Vel etiam poteſt dici quod intellectus fallitur per accidens ſecundum concluſiones particulares, non verò ſecundum principia communia; qualia ſunt iſta. *Omne totum eſt majus ſuâ parte: quæ ſunt eadem uni tertio ſunt eadem inter ſe.*

Obj. ultimo. Ibi non poteſt eſſe falſitas ubi non poteſt eſſe affirmatio vel negatio: atqui in ſenſibus non poteſt eſſe affirmatio vel negatio; ergo in ſenſibus non poteſt eſſe falſitas.

Reſp. diſt. maj. Ibi non poteſt eſſe falſitas cõplexa & completa ubi non eſt affirmatio vel negatio con. ibi non poteſt eſſe falſitas incomplexa & imperfecta ubi non eſt affirmatio vel negatio neg. Quia affirmatio & negatio non pertinent ad ſenſus, ſed ad ſolam potentiam quæ poteſt cognoſcere conformitatem vel difformitatem objecti; cum ergo ſolus intellectus cognoſcat talem conformitatem vel

difformitatem ad solum intellectum pertinet veritas aut falsitas complexa & completa quæ est propriè actus affirmantis vel negantis. Veritas autem aut falsitas incomplexa est conformitas vel difformitas objecti sine ullâ affirmatione vel negatione.



ARTICULUS ULTIMUS.

De secundo Gassendi Criterio ad inveniendam veritatem in rebus intelligibilibus.

NOtandum est quod Gassendus nomine anticipationis intelligit prænotionem sive ideam quam habemus de aliqua re, quæ idea in mente existens nobis repræsentat rem absentem quasi præsens esset; sed quia non solum habemus prænotiones de rebus quas sensu percipimus, sed etiam de rebus quas nusquam vidimus. Ideo Gassendus docet quod illæ ideæ sive anticipationes formantur quatuor modis scilicet incursione, proportione similitudine, & compositione.

Incursione formatur anticipatio alicujus rei quando res directè & per se incurrit sive cadit in sensus.

Proportione formatur anticipatio quando res non percipitur sensibus, sed tamen intellectus effingit illius rei ideam & imaginem

ad modum alterius rei cum quâ habet proportionem amplificando vel minuendo, sed servando semper numerum, figuram, & situm partium ut quando ex ipsa specie hominis formatur idea Gigantis vel Pigmæi.

Similitudine formatur anticipatio quando imago rei non visæ formatur ex imagine rei olim visæ, ut quando ex visâ Tolosâ formamus imaginem Romæ non visæ.

Compositione denique formatur anticipatio quando ex duobus olim visis componitur unum, ut ex monte & auro componitur mons aureus.

Notandum est 2. Quod Gassendus ad confirmandum illud Criterium statuit quatuor Canones. Primus Canon est quod omnis anticipatio dependet à sensibus. Secundus Canon est quod ipsa rei anticipatio sive idea est quasi definitio ipsius rei. Tertius Canon est quod anticipatio est in omni ratiocinatione principium quia attendentes ad ideam quam habemus de aliquâ re inferimus unum ex alio. Quartus Canon est quod illud quod est inevidens ex rei evidentis anticipatione potest demonstrari.

Dicendum est 1. Anticipationem non esse Criterium infallibile ad inveniendam veritatem in rebus intelligibilibus.

Probatur. Anticipatio est Criterium incertum; ergo non est Criterium infallibile ad inveniendam veritatem in rebus intelligibilibus. Prob. ant. Quod dependet ab aliquo incerto & fallaci est Criterium incertum: atqui anticipatio dependet ab aliquo incerto & fallaci, scilicet à sensibus qui falluntur per

accidens (ut jam probatum est;) ergo anticipatio est Criterium incertum.

Dicendum est 2. & ultimo. Quatuor Gassendi Canones esse falsos.

Probatur. Primus Canon est falsus si plurimæ sint cognitiones & anticipationes quæ non dependeant à sensibus: atqui plurimæ sunt anticipationes quæ non dependent à sensibus; ergo primus Canon est falsus. Prob. min. Habemus anticipationem sive cognitionem Dei, cognitionis nostræ, & existentiæ nostræ: atqui illæ anticipationes non dependent à sensibus. Præcipuè anticipatio Dei, non enim dependet incursione, quia Deus non est sensibilis, neque proportione, quia Deus nulli est proportionatus, neque similitudine quia Deus nulli est similis; neque compositione quia Deus nullam admittit compositionem. Similiter anticipatio quam habemus de cogitatione nostrâ non dependet à sensibus quia cogitatio non cadit in sensum; ergo falsus est primus Canon. Alii etiam tres Canones sunt falsi quia dependent à sensibus fallibilibus; ergo anticipationes non possunt esse definitiones rerum, neque principium ratiocinationis, neque rem incvidentem possunt demonstrare. Sic ergo absoluta maneat tota nostra Logica.

Finis Logicæ Recentiorum.




METAPHYSICA.

Secundum illibatam S. Thomæ Doctrinam.




UANTA sit Metaphysicæ dignitas, conjiciendum est facilè ex diversis nominibus quæ sortitur. 1. Dicitur *Sapientia*, quia primas rerum causas, atque adeo universalissima ac difficillima contemplatur. 2. Dicitur *Prima Philosophia* per antonomasiam, quia cæteras Philosophiæ partes superat. 3. Dicitur *Theologia*, quia de Deo, ejusque attributis, quantum lumine naturali pertingi potest ad eorum cognitionem, per se tractat. 4. Dicitur *Scientia universalis*, quia disciplinæ penè omnes ex ea pendent, & principia generalia mutuantur.



DISTRIBUTIO TOTIUS METAPHYSICÆ.



ETAPHYSICA, quæ à quibusdam Divina scientia appellatur; quia (ut inquit Sanctus Thomas) *Præcipuum cognitorum in ea est Deus.* In duos autem dividetur Tractatus. In primo agetur de ente & proprietatibus illius. In secundo de quibusdam entibus in particulari; sed præmittetur quæstio proëmialis in qua quædam de Metaphysica quærentur.



QUÆSTIO UNICA PROEMIALIS.

De Metaphysica.

CIRCA naturam Metaphysicæ primò quæritur, an detur. Secundò an sit scientia. Tertiò an sit merè & simpliciter

speculativa. Quartò quodnam sit illius objectum. Quæ omnia resolventur in unico Articulo.



ARTICULUS UNICUS.
An detur Metaphysica, quid, & qualis sit, & quodnam sit illius objectum.

Dicendum est primò dari Metaphysicam. Probatur. Naturali quodam appetitu desideramus cognoscere ens ut ens, & sub ratione communi entis; Ergò debet dari aliqua scientia, quæ nobis hanc cognitionem tribuendo, nostrum appetitum satiet; atqui sola Metaphysica illud efficit; ergò debet dari Metaphysica. Prob. min. Cæteræ scientiæ considerant rationes aliquas particulares, v. g. Logica considerat ens ut affectum secunda intentione; Physica considerat ens ut est mobile; Ergò sola Metaphysica potest nobis tribuere cognitionem entis in communi.

Dicendum est secundò, Metaphysicam esse scientiam propriè dictam.

Probatur. Illa facultas est scientia quæ respicit objectum habens proprietates demonstrabiles ab ipsa facultate; sed Metaphysica respicit objectum quod habet proprietates demonstrabiles ab ipsa. Ergò Metaphysica est scientia. Probatur minor. Metaphysica respicit ens ut ens: atqui ens ut ens habet proprietates demonstrabiles à Metaphysica,


nempè unum, verum, bonum. Ergò Metaphysica respicit objectum habens proprietates demonstrabiles ab ipsa. Præterea Metaphysica habet plurimas demonstrationes de Deo & aliis entibus (ut patebit in decursu.) Ergò Metaphysica est propriè scientia.

Dicendum est tertiò. Metaphysicam esse scientiam purè & simpliciter speculativam.

Probatur. Illa scientia est purè speculativa quæ inquirit veritatem propter solam veritatis cognitionem: atqui Metaphysica inquirit veritatem propter solam veritatis cognitionem; ergò Metaphysica est purè & simplicirer speculativa. Probatur minor. Demonstrata veritate ibi quiescit; postquam enim demonstraverit Deum esse summum bonum, non docet quomodo sit diligendus, & quibus mediis ab homine sit comparandus, sed hoc relinquit Theologiæ & Philosophiæ morali; ergò Metaphysica inquirit veritatem propter solam veritatis cognitionem.

Dicendum est quartò & ultimò. Ens reale abstrahendo à creato & increato esse objectum formale & adæquatum Metaphysicæ.

Prob. Illud est objectum alicujus scientiæ, de quo demonstrantur proprietates à tali scientiâ: atqui à Metaphysicâ demonstrantur proprietates entis realis; ergo ens reale est objectum formale & adæquatum Metaphysicę. Unum, verum, bonũ, considerãtur à Metaphysica. Atqui illæ proprietates conveniunt enti; siquidẽ conveniunt aliis rebus ratione entis. Nam res aliæ non sunt veræ, bonæ, nisi quia sunt entia: ergo proprietates quæ demonstrantur à Metaphysicâ conveniunt enti.




TRACTATUS

PRIMUS.

De ente & proprietatibus ejus.



UINQUE complectetur quæstiones Tractatus iste. In primâ disputabitur de conceptu entis. In secundâ de proprietatibus entis, ut sic. In tertiâ de unitate transcendentali, & de principio unitatis numericæ sive individuationis. In quartâ de unitate & bonitate transcendentali. In quintâ de motu.



QUÆSTIO I.

De Conceptu entis.

CIRCA ens in communi quæritur: Utrum sit univocum, æquivocum, & analogum? Et utrum sit transcendens, vel

habeat conceptum perfectè præcisum à suis inferioribus: ideo ista quæstio quatuor complectetur Articulos. In primo quæretur? utrum ens sit æquivocum. In secundo, utrum ens sit univocum. In tertio, utrum ens sit analogum. In quarto & ultimo, utrum habeat conceptum perfectè præcisum à suis inferioribus.



ARTICULUS I.

Utrum ens sit æquivocum.

NOtandum est 1. Æquivoca dici illa, quorum solum nomen est multis commune: ratio verò substantiæ nomini accommodata est diversa, ut patet exemplo canis terrestris, marini, & cælestis.

Notandum est 2. In æquivoci, univoci, & analogi definitione advertenda esse tria. 1. Nomen, quod dicitur æquivocum æquivocans. 2. Res significata, quæ dicitur æquivoca æquivocata. 3. Relatio rei ad nomen, quæ dicitur æquivocatio. Æquivoca æquivocata definita fuere in definitione traditâ in primo notatu.

Notandum est 3. Ens sumi dupliciter, scilicet nominaliter & participialiter sive pro participio verbi *sum*: Ens nominaliter sumptum est res quælibet, quatenùs est opposita nihilo; sive quatenus est posita extra nihil, & in rerum naturâ. Ens participialiter sumptum

est ipsa existentia rei, per quam res ponitur extra nihil & extra causas. De ente primo modo sumpto, ibi tantùm disputatur.

Dicendum est. Ens reale non esse purè æquivocum, respectu Dei & creaturarum, substantiæ & accidentis.


Prob. Illa dicuntur æquivoca, quorum nomen est idem; ratio verò per nomen significata est omninò diversa: atqui ratio entis non est omninò diversa, respectu Dei & creaturarum, substantiæ & accidentis; ergo ens non est purè æquivocum. Prob. min. Habent aliquam similitudinem in ratione entis: ergo ratio entis non est omninò diversa respectu Dei & creaturarum, substantiæ & accidentis. Prob. ant. Illa habent inter se aliquam similitudinem, quorum unum cognoscitur per aliud: atqui sic se habent Deus & creaturæ, substantia & accidens; siquidem ex cognitione entis creati ducimur in cognitionem entis increati, juxta illud Apost. *Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt à creatione mundi, intellecta conspiciuntur*; & ex cognitione entis substantialis facilius cognoscimus accidentale (cum sit ens in substantiâ;) ergo habent inter se aliquam similitudinem.

Obji. 1. Ens est purè æquivocum respectu illorum inter quæ nulla datur similitudo: atqui inter Deum & creaturas nulla datur similitudo; ergo ens est purè æquivocum respectu Dei & creaturarum. Prob. maj. Inter finitum & infinitum nulla datur proportio, neque similitudo: atqui Deus est infinitus, creaturæ verò sunt finitæ; ergo inter Deum & creaturas nulla datur similitudo.

Resp. neg. min. ad cujus prob. dist. maj. Inter finitum & infinitum nulla datur similitudo Physica conc. Metaphysica neg. Quia licet Deus & creaturæ non conveniant in aliquo esse entitativo & Physico; conveniunt tamen in aliquo communi ente rationis, quam considerat Metaphysica; vel etiam potest distingui major eadem alterâ distinctione. Inter ens finitum & infinitum non datur similitudo sub ratione finiti & infiniti conc. sub ratione entis neg.

Objicies 2. & ultimò. Illa sunt purè æquivoca, quorum nomen est multis commune, ratio verò simpliciter diversa: atqui sic se habent Deus & creaturæ respectu entis; ergo ens est purè æquivocum respectu Dei & creaturarum. Prob. maj. ex Arist. 1. Metaph. cap. primo. *Enti æterno & temporalibus nihil est commune, præter nomen quod est purè æquivocum*; ergo ens est purè æquivocum respectu Dei & creaturarum.

Resp. neg. maj. ad cujus prob. dist. ant. nihil est commune simpliciter con. secundum quid neg. quia æternum & temporale conveniunt secundum quid, scilicet in ratione entis.





ARTICULUS II.

Vtrum ens sit univocum respectu Dei & creaturarum, substantiæ & accidentis.

NOtandum est primò. Univocum esse illud, cujus nomen est multis commune; ratio verò per nomen significata est etiam cum multis communis (ut patet exemplo hominis. Quod nomen omnibus hominibus convenit; & res per tale nomen significata simplicitèr & æqualiter omnibus etiam convenit.

Dicendum est. Ens reale non esse univocum respectu Dei & creaturarum, substantiæ & accidentis.

Prob. Quidquid prædicatur de quibusdam secundum idem nomen, non verò secundum eandem rationem, non est univocum: sed ens prædicatur de Deo & creaturis, de substantiâ & accidente secundum idem nomen, non verò secundum eandem rationem: ergo ens non est univocum. Prob. maj. Esse non convenit eodem modo Deo & creaturis, substantiæ & accidenti; ergo ratio entis non prædicatur secundum eandem rationem de Deo & creaturis, de substantiâ & accidente. Prob. ant. Modus essendi Dei est independens, modus essendi creaturarum est depen-

dens, cum ſint entia per participationem. Modus eſſendi ſubſtantiæ eſt independens ab accidente, modus verò eſſendi accidentis eſt dependens à ſubſtantiâ (cum ſit ens in ſubſtantiâ;) ergo eſſe non convenit eodem modo Deo & creaturis, ſubſtantiæ & accidenti.

Obji. Ex Ariſt. 1. Metaph. *Menſura debet eſſe ejuſdem rationis cum menſurato*: Atqui Deus eſt menſura omnis entis creati, tam in eſſendo. (Cum creaturæ ſint participationes illius,) quam in cognoſcendo (cum per ſuam eſſentiam cognoſcat creaturam;) ergo Deus eſt ejuſdem rationis cum creaturis.

Reſp. diſt. maj. Menſura ejuſdem ordinis & proportionata debet eſſe ejuſdem rationis cum menſurato conc. menſura diverſi ordinis & excedens neg. Similiter diſtinguenda eſt minor propoſitio. Deus eſt menſura entis creati improportionata & diverſi ordinis con. proportionata & ejuſdem ordinis neg. Quia Deus quatenus eſt ens infinitum & æternum longè excedit creaturas.



ARTICULUS III.

Vtrum ens ſit analogum.

Notandum eſt 1. Quòd illa dicuntur analoga quæ habent idem nomen, & rem per tale nomen ſignificatam ſimpliciter diverſam & ſecundum quid eandem, quæ ha-

bent aliquam similitudinem & convenientiam.

Notandum est 2. Duplex esse analogum, scilicet analogum attributionis & analogum proportionalitatis. Analogum attributionis est illud, cujus res per nomen significata convenit principali analogato intrinsecè, cæteris verò extrinsecè & relativè (ut patet exemplo sani) respectu hominis, medicinæ & coloris; res enim per tale nomen significata, scilicet sanitas intrinsecè convenit homini, extrinsecè verò & relativè medicinæ & colòri: Analogum autem proportionalitatis est illud cujus res per nomen significata convenit quidem intrinsecè omnibus analogatis; sed independenter principali analogato, cæteris verò dependenter & per similitudinem. Patet exemplo pedis, cujus res significata convenit intrinsecè animali & monti; tamen convenit independenter animali, dependenter verò & per similitudinem ad animal convenit monti.

Dicendum est, ens reale esse analogum utrâque analogiâ attributionis & proportionalitatis respectu Dei & creaturarum, substantiæ & accidentis.

Prob. prima pars. Aliquid est analogum analogiâ attributionis, quando res significata reperitur intrinsecè in principali analogato, in cæteris verò extrinsecè: atqui ratio entis reperitur intrinsecè in Deo (cum Deus sit ens per essentiam) extrinsecè verò in creaturis (cum sint entia per participationem) quia licet creaturæ secundum se absolutè sint formaliter entia, quando tamen intelliguntur

habere analogiam attributionis ad Deum in ratione entis, denominantur entia per extrinsecam denominationem ab entitate existente in Deo. Similiter substantia est ens per se, accidens verò est ens in alio; ergò ens est analogum analogia attributionis respectu Dei & creaturarum, substantiæ & accidentis.

Prob. secunda pars. Esse analogum analogia proportionalitatis, est rem significatam reperiri quidem intrinsecè in omnibus analogatis, independenter tamen in principali analogato, & dependenter in cæteris: atqui ratio entis intrinsecè reperitur in Deo & creatura, in substantia & accidente. Sed independenter reperitur in Deo (cum sit ens à se.) Independenter in substantia (cum sit ens per se.) Dependenter verò in creaturis (cum sint entia ab alio.) Et in accidente (cum sit ens in alio;) ergò ens est analogum analogiâ proportionalitatis respectu Dei & creaturarum, substantiæ & accidentis.

Obj. 1. Si ens esset analogum analogia attributionis, sequeretur quod creatura deberet definiri per Deum; atqui illud non potest dici. Ergò &c. Probatur sequela maj. Analogata analogiâ attributionis ita se habent, ut posterius definiatur per suum prius; ergò creatura quæ est quid posterius respectu Dei, deberet definiri per Deum qui est prius.

Resp. 1. neg. sequel. maj. ad cujus prob. dist. ant. Analogata analogia attributionis ita se habent, quod posterius definiatur per suum prius, si omnia analogata possint per definitionem

definitionem explicari conc. si non possint neg. quia in analogiâ attributionis respectu Dei & creaturarum præcipuum analogatum, nempè Deus non potest definiri.

Resp. 2. dist. idem ant. Analogata analogiâ attributionis ita se habent, quòd posterius definiatur per prius, si exprimatur habitudo quam dicit minus analogatum ad præcipuum conc. si non exprimatur talis habitudo neg. Quia hoc quidem verum est de omnibus analogatis, quando exprimitur habitudo quam dicit minus analogatum ad præcipuum, ut in medicina, colore, dum dicuntur sana per ordinem ad sanitatem animalis, & ita si exprimatur habitudo quam dicit creatura ad Deum, hoc est si creaturæ sumantur formaliter ut creaturæ sunt, tunc posterius debet definiri per prius, hoc est creatura per Deum, & ita ad definitionem creaturarum non sufficit dicere, creaturæ sunt id quod habet esse, sed debet addi creaturæ sunt id quod habet esse dependens seu acceptum à Deo; si verò non exprimatur talis habitudo, non est necesse, ut prius ponatur in definitione posterioris.

Obji. 2. & ultimò. Analogia proportionalitatis includit aliquid metaphoricè, sicut ridere dicitur de prato per translationem metaphoricam: atqui creaturæ non sunt entia metaphoricè & impropriè; ergò non sunt analoga analogia proportionalitatis.

Resp. dist. maj. Analogia impropria & metaphorica includit aliquid metaphoricè conc. Analogia propria & realis neg. Quia analogia quæ reperitur inter Deum & creaturas est analogia propria.



ARTICULUS IV. ET ULT.

Vtrum ens habeat unum conceptum perfectè præcisum à suis inferioribus.

NOtandum est. Duplicem distingui conceptum, formalem scilicet & objectivũ Conceptus formalis est actus intellectus quo attingit aliquod objectum. Dicitur cõceptus, quia per illum actum mens aliquid concipit & intelligit: dicitur verò formalis, quia est forma inhærens in intellectu. Conceptus objectivus est ipsum objectum cognitum; dicitur autem conceptus per denominationem extrinsecam desumptam à conceptu formali versante circa illum. Dicitur objectivus, quia est objectum conceptus formalis cui objicitur. Uterque conceptus tam formalis quam objectivus est duplex, scilicet perfectus & explicitus, & imperfectus sive implicitus. Conceptus formalis perfectus est actus quo intellectus attingit unam rationem multis communem (illis multis non cognitis:) ita ut non solum sit entitativè unus, sed etiam formaliter, cum res cognita sit una. Illa autem res cognita est conceptus objectivus perfectus. Cõceptus formalis imperfectus est actus quo intellectus attingit multa objecta non in una ratione communi convenientia, sed secun-

dum aliquam proportionem & similitudinem se habentia. Unde licet ille actus sit unus entitativè, est tamen multiplex formaliter, quatenus multa attingit. Illa autem multa secundum quid & aliqua proportione convenientia dicuntur conceptus objectivus imperfectus.

Dicendum est. Ens reale non habere unum conceptum perfectè præcisum à suis inferioribus.

Prob. Ille conceptus non est perfectè præcisus qui quocumque modo abstrahatur, remanet semper inclusus in illis à quibus abstrahitur: atqui conceptus objectivus entis ita abstrahitur à suis inferioribus, ut maneat semper inclusus in ipsis inferioribus; ergò ens reale non habet semper unum conceptum perfectè præcisum à suis inferioribus. Prob. min. Quod est de essentia inferiorum, non potest ita præscindi ab inferioribus, quin semper maneat inclusum in illis: atqui ens reale est de essentia suorum inferiorum; ergò ens non potest ita præscindi à suis inferioribus, quin semper maneat inclusum in ipsis. Prob. min. nihil est in inferioribus de quo ens formaliter non prædicetur, & per hoc distinguitur transcendens ab univoco; nam licet univocum sit de essentia suorum inferiorum, in ipsis tamen reperitur aliquid, nempè differentia, de qua formaliter non prædicatur: transcendens verò prædicatur de omnibus quæ in re aliqua inveniuntur; ergò ens est de essentia suorum inferiorum.

Obj. 1. Conceptus certùs est perfectè præcisus à dubio: sed conceptus entis aliquando

est certus, & conceptus inferiorum est aliquando dubius; antiqui enim erant certi dari animam & lucem, sed dubitabant utrum essent substantiæ vel accidentia; similiter aliquis videns hostiam super altare, & nesciens an sit consecrata, est certus quod sit ens, & dubitat, an sit substantia panis vel Christi; ergo conceptus entis est perfectè præcisus à suis inferioribus.

Resp. neg. maj. Quia conceptus entis certus est tantum præcisus secundum quid & imperfectè à conceptu dubio inferiorum; siquidem ens reale implicitè significat omnia sua inferiora. Quia ens reale eodem modo significat sua inferiora, quo illa includit: atqui illa includit implicitè, quia nihil est in inferioribus quod non sit ens; ergo &c.

Inst. Atqui inferiora non includuntur implicitè in ente; ergo nulla solutio. Prob. subs. Si in conceptu entis includerentur inferiora implicitè, sequeretur quod de quocumque prædicaretur ens, prædicarentur & inferiora: atqui inferiora non possunt prædicari de quocumque prædicatur ens. Quia sic posset dici, quod omne ens est Deus, & omne ens est creatura; ergo in conceptu entis inferiora non includuntur implicitè. Prob. sequela maj. Quando aliquid prædicatur de alio, inclusa simul prædicantur; ergo si inferiora includerentur implicitè in conceptu entis, deberent prædicari de quocumque prædicatur ens.

Resp. neg. subs. ad cujus prob. dist. maj. Si in conceptu entis includerentur inferiora determinatè, sequeretur quod de quocumque

prædicaretur ens, prædicarentur & inferiora conc. si includantur tantum indeterminatè neg. Quia ens non includit inferiora determinatè; ita ut ad rationem entis requirantur omnia inferiora : sed tantum ens includit inferiora indeterminatè, quia significat aliquem modum essendi (quisque ille sit.) Cum omne ens ab inferioribus participatur, ille modus essendi indeterminatus fit determinatus; siquidem modus essendi alius est in Deo; alius est in substantia creata.

Obj. ultimò. Conceptus entis est naturaliter prior conceptu substantiæ & accidentis; ergo conceptus entis est præcisus à conceptu inferiorum. Prob. ant. Ille conceptus est prior à quo non valet subsistendi consequentia : atqui à conceptu entis ad conceptum inferiorum non valet subsistendi consequentia; non enim potest dici, Hoc est ens; ergo est substantia; ergo conceptus entis est naturaliter prior.

Resp. neg. conseq. Quia licet conceptus entis sit prior, & licet ab illo non valeat subsistendi consequentia, tamen conceptus entis est tantum imperfectè & implicitè præcisus à conceptu inferiorum. Quia non attingitur ratio substantiæ & accidentis, sed tantum ratio communis essendi, quæ potest tribui tum substantiæ tum accidenti.



QUÆSTIO II.

De proprietatibus entis.

DUOS tantum complectetur Articulos ista Quæstio. In primo quæretur quid sint, & an sint proprietates reales entis. In secundo utrum proprietates distinguantur realiter ab ente & inter se.



ARTICULUS I.

Quot sint & quid sint proprietates entis.

DIcendum est 1. Tres tantum assignari proprietates entis, scilicet unum, verum, bonum.

Prob. & explicatur conclusio. Illæ proprietates habent omnes conditiones prærequisitas. Duo enim sunt proprietatum genera. Aliæ dicuntur proprietates rei vel reales, aliæ verò proprietates demonstrabiles. In proprietatibus in quolibet statu consideratis sunt aliquæ conditiones necessariò prærequisitæ. Primò ad hoc ut aliquid sit proprietas primo modo considerata, quatuor solent assig-

nari conditiones. 1. Ut sit res aliqua ab intellectus operatione independens. 2. Ut à parte rei distinguantur à subjecto cujus sunt proprietates. 3. Ut ab ipso subjecto producantur saltem per emanationem & resultantiam. 4. Ut subjectum non sit de essentia & de ratione formalis proprietatis. Ut verò aliquid sit proprietas secundo modo considerata debent dari 3. conditiones. Primò ipsæ proprietates debent distingui ratione ab ente. Secundò debent dimanare ab ipso ente. Tertiò debent inter se distingui : sed proprietates jam assignatæ habent illas tres conditiones. Primò distinguuntur ratione ab ente reali. Secundò dimanant ab ipso ente, & concipiuntur illi adesse per modum adjacentis, ita ut ens prius concipiatur. 3. Denique sufficiēter inter se distinguntur, quia unum dicit rem in se indivisam, verum dicit rem intelligibilem; & bonum dicit rem appetibilem ; ergo rectè assignantur tres tantum proprietates entis.

Dicendum est ultimò proprietates entis esse reales.

Prob. Quod convenit enti independenter ab intellectu, est reale : atqui unum, verum, bonum conveniunt enti independenter ab intellectu ; siquidem nullo intellectu cogitante convenit homini quod sit unum ens, verum & bonum ; ergo unum, verum, bonum sunt proprietates verè reales.



ARTICULUS II.

Utrum proprietates entis distinguantur ratione ab ente, & inter se.

DIcendum est, proprietates entis distingui sola ratione ab ente & inter se.

Prob. Illa quæ se transcendentaliter includunt, distinguntur sola ratione: atqui proprietates entis includuntur transcendentaliter in ipso ente, & in se ipsis, quia de illo formaliter & de se invicem prædicantur tam in concreto quam in abstracto; ista enim prædicatio est vera & formalis, *Ens est unum, verum, bonum.* Similiter *unum est ens, verum, & bonum*: ista etiam prædicatio est vera, *entitas est unitas, veritas & bonitas*; ergo proprietates entis distinguntur sola ratione ab ente & inter se.

Obj. 1. Quæ in Deo distinguntur ratione, distinguntur realiter in creaturis, juxta illud commune Theologorum effatum, (*quæ sunt unita in superioribus sunt dispersa in inferioribus*) atqui unum, verum, & bonum distinguntur sola ratione in Deo; ergo debent distingui realiter in creaturis.


Resp. dist. maj. Quæ sunt distincta sola ratione in Deo sunt distincta realiter in creaturis, si illa ex natura sua non habeant quod

ſint unum ſecundum rationem conc. ſi habeant quod ſint unum neg. Quia ideò juſtitia & miſericordia diſtinguntur realiter in creaturis, licet diſtinguantur ſola ratione in Deo, quia ex natura ſua non habent quod ſint unum: ſed quia veritas & unitas habent quod ſint unum in quolibet ſubjecto, diſtinguntur ſola ratione & in Deo & in creaturis. Illa ſolutio eſt ſancti Tho. quæſt. 1. de veritate, art. 1. & q. 2. art. 1. ad 5. ubi ſic loquitur. *Aliqua poſſunt eſſe idem in Deo ſecundum rem dupliciter. Primò uno modo ex parte ejus in quo ſunt tantum & non ex propria ratione, ſicut ſcientia & potentia; non enim ſcientia ex hoc quod ſit ſcientia, eſt idem cum potentia ſecundum rem; ſed ex eo quod eſt divina, & quæ ſic ſunt unum ſecundum rem in Deo, in creaturis inveniuntur ſecundum rem differre. Alio modo ex ipſa ratione eorum quæ dicuntur eſſe unum realiter, & ſic bonum & ens ſunt unum in Deo realiter, quia de ratione boni eſt quòd non differat ſecundum rem ab ente; & ideò ubicumque inveniuntur bonum & ens, ſunt idem ſecundum rationem.*

Obj. ultimò. Illa diſtinguntur realiter quæ habent cauſam diſtinctionis realis; atqui bonum & verum ſunt cauſa diſtinctionis realis, quia faciunt, ut intellectus & voluntas diſtinguantur realiter; ergo unum, verum, bonum, diſtinguntur realiter.

Reſp. neg. maj. Quia objecta non diſtingunt potentias per diſtinctiones quas habent inter ſe, ſed per rationes formales per quas conſtituuntur. Unde quamvis objectum ſit unum in eſſe rei, eſt tamen virtualiter mul-

triplex, quatenus plures habet rationes objectivas virtualiter distinctas.



QUÆSTIO III.

De Vnitate.

CIRCA unitatem duo tantum quæruntur, nempè quid sit unitas, & quid addat unitas transcendentalis supra ens. Et quodnam sit principium unitatis numericæ.



ARTICULUS I.

Quid sit unitas, & quid addat unitas transcendentalis supra ens.

DIcendum est 1. Unitatem definiri indivisionem rei in se, & divisionem à quacumque re.

Prob. Unitas opponitur privativè multitudini: atqui multitudo importat divisionem, quia illa sunt multa quæ sunt divisa; ergo unitas dicitur includere negationem, sive carentiam divisionis, hoc est indivisionem; &

proindè unitas est indivisio. Hanc divisionem importat secundariò & in obliquo; primariò verò & in recto connotat ens tanquam subjectum cui inhæret & tanquam fundamentum.

Dicendum est 2. & ultimò. Unitatem transcendentalem addere enti solam negationem & carentiam divisionis, non verò aliquid positivum.

Prob. Si unitas transcendentalis adderet aliquid positivum supra ens, daretur processus in infinitum: illud non potest dici; ergo &c. Prob. sequela maj. Illud positivum quod adderetur supra ens, esset unum: esset autem unum per aliquid positivum, & illud secundum positivum esset unum per aliquid tertium, & sic in infinitum; ergo si unitas transcendentalis adderet aliquid positivum supra ens, daretur processus in infinitum.



ARTICULUS II.

Utrum materia signata quantitate sit principium unitatis numericæ, seu individuationis in substantiis materialibus.

NOtandum est 1. Duplex esse principium unitatis numericæ, seu individuationis. Unum est immediatum & proximum; alterum radicale & remotum: princi-

pium proximum & immediatum est illud ex quo immediatè & proximè sumitur prædicta unitas. Principium verò radicale & remotum est prima radix primumque fundamentum ex quo desumitur individuatio. Circa principium immediatum & proximum nulla videtur controversia, quia in omnium consensu propria rei entitas est principium proximum & immediatum. De solo principio radicali & remoto ibi disputabitur. Ideò

Notandum est 2. Quantitatem dici signum materiæ, eò quòd materia per ipsam fiat sensibilis & determinata. Materiam autem esse signatam quantitate, nihil aliud est, quam materiam esse divisam in partes secundum exigentiam formæ; quia per talem divisionem quæ fit à quantitate, materia disponitur & determinatur ad recipiendam talem formam substantialem. Quæritur ergo, utrum à materia sic divisa & disposita per quantitatem proveniat principium radicale & remotum unitatis numericæ, ita ut substantia materialis habeat à materia signata quantitate, tanquam à principio radicali & remoto, quòd sit indivisa in se, & divisa à quacumque alia re, sive quod sit una numericè.

Dicendum est principium radicale & remotum in substantiis materialibus esse materiam signatam quantitate.

Prob. Principium radicale individuationis debet continere virtualiter illud omne quod ipsa individuatio includit formaliter: atqui individuatio formaliter sumpta includit indivisionem rei in se, & divisionem ab alia re; cum sit ratio formalis per quam na-

tura

tura singularis redditur indivisa sivè incommunicabilis, & divisa ab alia quacumque re; ergo principium radicale individuationis debet continere virtualiter indivisionem & divisionem: atqui materia signata quantitate includit ipsam indivisionem & divisionem; ergò est principium radicale individuationis. Prob. illa secunda min. individuatio habet à materiâ tanquam à principio radicali, quòd sit ratio indivisibilitatis sive incommunicabilitatis, à quantitate quod sit ratio divisibilitatis; ergò materia signata quantitate continet virtualiter indivisibilitatem sive incommunicabilitatem, & divisibilitatem. Prob. ant. primum in unoquoque genere est causa cæterorum quæ sunt in eodem genere: atqui materia est principium primum incommunicabilitatis, cum sit ultimum subjectum ultra quod non datur communicatio. Siquidem materia prima non est extremum quod communicatur & recipitur in forma, sed est subjectum in quo forma recipitur. Similiter quantitas est primum principium divisibilitatis, cum sit accidens per quod substantiâ dividitur & habet partes extra partes; ergò cum individuatio habeat indivisibilitatem à materiâ, & divisibilitatem à quantitate tanquam à primo principio, sequitur materiam signatam quantitate esse principium radicale individuationis, sive unitatis numericæ in substantiis materialibus.

Obji. 1. Quod non est singulare & incommunicabile, non potest esse principium incommunicabilitatis & singularitatis: atqui materia prima non est singularis & incom-

ſionem ; nam ex ſe eſt accidens diviſivum ſubſtantiæ. Sub illa autem ratione ſignat & determinat materiam, & illa materia ſic ſignata à quantitate individuat formam ſubſtantialem, totum compoſitum, deindè ipſam quantitatem, & omnia accidentia.

Inſt. iterum : atqui quantitas non poteſt diſponere materiam ſecundum exigentiam formæ ; ergò nulla ſolutio. Prob. ſubſ. materia prima prius ordinatur ad formam quam ad quantitatem ; ergò quantitas non diſponit materiam. Prob. ant. ad illud prius ordinatur materia quod prius recipit : atqui materia prima prius recipit formam quam quantitatem ; ergò materia prius ordinatur ad formam quam ad quantitatem.

Reſp. neg. ſubſ. & ant. & ad prob. diſt. ultimam min. prop. materia prius recipit formam ſubſtantialem quam quantitatem in genere cauſæ formalis conc. in genere cauſæ materialis neg. quia licet quantitas concomitetur formam, in quantum tamen debet diſponere materiam, dicitur illam præcedere in genere cauſæ materialis.

Inſt. ultimò. Atqui materia deberet prius recipere quantitatem in genere cauſæ formalis ; ergò nulla ſolutiò. Prob. ſubſ. quantitas deberet actuare & informare ipſam materiam ; ergò materia deberet recipere quantitatem in genere cauſæ formalis. Prob. ant. quantitas non poteſt dividere & diſponere materiam niſi illam informando & actuando ; ergò quantitas deberet actuare & informare materiam.

Reſp. neg. ſubſ. & ant. & ad prob. diſt.

ant. quantitas non potest dividere materiam, nisi illam informando & actuando concomitanter conc. formaliter & reduplicativè nego. Quia divisio non est formaliter actuatio, & ita quantitas ut dividens præcedit singularitatem sui subjecti & illam sequitur ut est actuans & ipsi inhærens.

Obji. 2. Deus potest creare animas extra omne corpus & nullum dicentes ordinem ad corpus; illæ autem animæ distinguerentur numero, quià essent ejusdem speciei: atqui tunc illa distinctio numerica non proveniret à materia; ergo materia signata quantitate non est principium individuationis.

Resp. neg. maj. quia Deus potest quidem creare animas extra omne corpus, & potest illas ab omni corpore separatas semper servare; non tamen potest efficere, quin semper illæ animæ dicant ordinem ad corpus, quia anima est forma essentialiter informans. Ita illæ animæ à Deo creatæ extra omne corpus differrent numero per ordinem quem dicerent ad materiam.


Obji. 3. Individuatio provenit à forma; ergo non provenit à materiâ signatâ quantitate. Prob. ant. omnes gradus Metaphysici proveniunt à forma: sed individuatio est gradus Metaphysicus, cum sit ipsa differentia individualis; ergo individuatio provenit à forma.

Resp. neg. ant. ad cujus prob. dist. maj. omnes gradus Metaphysici proveniunt à formâ proximè & immediatè conc. remotè & radicaliter neg. quia (ut jam dictum fuit) duplex est principium individuationis. Unum proximum & immediatum, quod

provenit ab ipsa rei entitate. Alterum remotum & radicale, quod provenit à materiâ signatâ quantitate.

Obji. ultimò materia non debet esse sigillata quantitate; ergo quantitas non est principium radicale individuationis. Prop. ant. individuatio est unitas substantialis; ergo non potest provenire à quantitate, & proindè sola materia est principium individuationis.

Resp. neg. ant. ad cujus prob. dist. ultimam conseq. individuatio non provenit à quantitate tanquam à principio radicali principali conc. tanquam à principio radicali minus principali nego. Quia materia est principium radicale principale: sed sola materia non sufficit, quia non habet ex se divisibilitatem quæ est necessaria cuilibet principio individuationis, sed illam recipit à quantitate. Proinde ut materia sit principium individuationis, debet signari sive disponi per quantitatem secundum exigentiam formæ.



QUÆSTIO QUARTA.

De Veritate & Bonitate.

DUOS continebit articulos ista quæstio. In primo agetur de veritate & falsitate. In secundo de bonitate.



ARTICULUS I.

Quid & quotuplex sit veritas, & quid sit falsitas.

Dicendum est. 1. Veritatem definiri conformitatem inter intellectum & rem intellectam.

Prob. & explicatur talis definitio. Res quælibet duplici modo ordinatur ad intellectum, vel tanquam mensura & regula cognitionis illius; adeò ut cognitio dicatur vera quando conformatur rei cognitæ ut est in se; vel tanquam mensuratum & regulatum, adeò ut res illa non dicatur vera nisi quatenus conformatur cognitioni; ergo omnis veritas est conformitas inter intellectum & rem intellectam.

Dicendum est. 2. Duplicem assignari veritatem, scilicet formalem & transcendentalem.

Prob. & explicatur talis divisio. Veritas formalis est conformitas & convenientia intellectus cognoscentis cum re cognitâ, quando scilicet intellectus cognoscit & judicat rem ab illo concipi ut est in se ipsa: hæc autem veritas dicitur formalis quia residet in intellectu, illumque afficit tanquam forma inhærens. Illa quoque veritas fit major & perfectior, quò intellectus magis conformatur rei cognitæ; indè cum intellectus divinus

cognoscat perfectissimè res omnes ut sunt in se, illius veritas dicitur infinitè perfecta: veritas transcendentalis, sive in essendo est proprietas entis, quæ consistit in conformitate ad intellectum divinum; sicut enim artefacta dicuntur vera quatenus conformantur ideæ & imagini quæ est in mente artificis; ita res dicuntur veræ quatenus conformantur ideæ divinæ; secundariò vero consistit inconformitate ad intellectum creatum, quatenus ab illo nata est intelligi ut est in se: hæc autem proprietas non addit aliquid supra ens quod sit distinctum ab ente, sed solùm aliquem modum specialem & positivum, scilicet illam convenientiam & conformitatem ad intellectum. Qui modus specialis non exprimitur ratione entis claré & distincté. Ergò datur duplex veritas, una formalis, & alia transcendentalis.

Dicendum est. 3. Et ultimò falsitatem formalem esse difformitatem intellectus ad objectum cognitum.

Prob. & explicatur talis conclusio. Veritas & falsitas sibi opponuntur; ergò opposito modo debent definiri: atqui veritas formalis est conformitas intellectus ad objectum cognitum; ergò falsitas formalis debet esse difformitas intellectus ad objectum cognitum: non datur autem falsitas transcendentalis in rebus, quia cum veritas transcendentalis conveniat omni enti reali (cum sit illius proprietas) falsitas veritati opposita non potest illi convenire, quia duo opposita non possunt eidem competere.



ARTICULUS II. ET ULT.

Quid & quotuplex sit bonitas, & quid sit malum illi oppositum.

DIcendum est. 1. Bonitatem transcendentalem consistere in ipsa rei perfectione, quatenus dicit ordinem ad appetitum, sive quatenus est appetibilis.

Prob. bonum est illud quod omnia appetunt: atqui ex S. Tho. unumquodque est appetibile secundum quod est perfectum, nam omnia appetunt suam perfectionem; ergò ratio boni sive bonitas consistit in ipsa rei perfectione dicente ordinem ad appetitum, sive quatenus est appetibilis. Res autem quælibet potest dici perfecta tribus modis. Primò essentialiter, quando scilicet habet illa quæ constituunt ejus essentiam, ut animal & rationale constituunt essentiam hominis. Secundò substantialiter, quando scilicet res habet partes substantiales integrantes, ut sunt caput, pectus, brachia &c. Tertiò accidentaliter, quando scilicet habet accidentia quæ exigit recta ejus dispositio, ut sunt facultates operativæ, temperamentum & ordo partium.

Obji. si bonitas esset proprietas entis, sequeretur quod adæquatè converteretur cum ente; ita ut nihil esset ens, quod non esset


bonum & perfectum: atqui multa sunt entia vera & realia, quæ non sunt bona & perfecta; v. g. in Mathem. est angulus, *in quo* (inquit Arist. 3. Metaph.) *non est bonum*, relationes etiam reales non sunt bonæ, nec malæ, nec perfectæ, nec imperfectæ; alioquin una perfectio esset in una persona divina, quæ non esset in alia; ergò bonitas non concurrit cum ente.

Resp. 1. neg. min. ad cujus prob. dist. auct. Arist. entia Mathematica non sunt bona præcisè & in abstracto conc. absolutè neg. quia *cum Triangulus abstrahat ab existentia* (ait Sanctus Tho. 1. p. q. 5. art. 3. ad 4.) *secundum illud non est aliquod bonum.*

Resp. 2. Dist. alteram prob. relationes non sunt bonæ secundùm præcisam rationem conc. absolutè neg. quia non sequitur unam personam habere perfectionem aliquam quæ non sit in alia; quia in singulis est perfectio infinita in genere entis; & proinde includunt quamcunque perfectionem, tam absolutorum quam relativorum.

Dicendum est 2. & ultimò. Malum transcendentale consistere in privatione alicujus perfectionis naturalis.

Prob. Malum transcendentale est oppositum bono transcendentali; ergò debent modo opposito definiri; atqui bonum transcendentale consistit in perfectione rei naturaliter illi debita; ergò malum consistit in carentia perfectionis quæ naturaliter debetur alicui rei.



QUÆSTIO V.

De Motu.

MOTUS ad Metaphysicam & ad Physicam pertinet. Motus in abstracto vel secundum formalem illius rationem ad Metaphysicam propriè pertinet: motus vero localis ad Physicam spectat, quia ipsa facultas nihil aliud ferè quam motum in rerum natura contemplatur. Omnia tamen quæ ad motum spectant, exponentur ibi, ut variis in locis diffusa non sint quæ ad unam & eandem rem spectant.



ARTICULUS I.

Vtrum definitio motus in communi tradita ab Aristotele sit bona contra nonnullos recentiores.

NOtandum est 1. Motum in communi definiri ab Arist. *Actum entis in potentia prout in potentia*, sivè formam subjecti adhuc existentis in potentia ad acquirendam vel recipiendam ulteriorem formam. Sed pro faciliori illius definitionis intelligentiâ.

Notandum est 2. Duplicem in communi

esse actum, perfectum scilicet & imperfectum. Perfectus est, qui subjectum ita perficit & actuat, ut non relinquat illud in potentia ad alium qui sit terminus illius. Sic anima est actus perfectus respectu corporis quod complet & ita determinat illius potentiam, ut non relinquat illud in potentia ad aliam animam. Actus imperfectus est ille qui relinquit subjectum in potentia ad ulteriorem & perfectiorem actum qualis est v. g. calefactio quæ ita aquam determinat ut illam relinquat in potentia ad ulteriorem formam, nempè ad calorem qui est terminus calefactionis, & talis actus vocatur motus propriè dictus.

Notandum est 3. Quod recentiores nonnulli hanc Aristotelis definitionem ut involutam, & re ipsa quæ definitur, obscuriorem calumniantur. Contra quos

Dicendum est Aristotelis definitionem perspicuam esse & aptè motus naturam explicare.

Prob. 1. & exp. definitio. 1. Motus dicitur *actus* & illud vocabulum videtur tenere rationem generis, quia per hoc vocabulum motus convenit cum aliis actibus qui reducunt subjectum de potentia in actum. 2. Motus dicitur *actus entis*, id est entis mobilis. 3. Dicitur *actus entis in potentia*, scilicet ad motum, aqua v. g. priusquam calefiat, est in potentia ad calefactionem. 4. Additur *prout in potentia*, & per hoc differt ab actu & formâ perfectâ quæ actuat subjectum, quatenus est tantum in potentia ad ipsam: motus vero illud actuat, & in quantum est in potentia ad ipsum motum, & quantum est in potentia

ad ulteriorem formam, quatenus ponit illud in via & tendentia ad ipsam; ergo perspicua est Aristotelis definitio, cum constet genere & differentiâ. Hanc certè Aristotelis definitionem ut perspicuam admittit auctor Philosophiæ veteris & novæ in Regia Burgundia pertractatæ. *Eam*, inquit nempè Aristotelis definitionem, *& perspicuam esse, & naturam motus universim sumpti satis aptè ab ea explicari, adeo ut vix ulla commodior afferri possit, omnino contendimus.*

Prob. 2. Illa definitio apte explicat naturam motus universim sumpti, quæ continet omnes motus species: atqui illa Aristotelis definitio continet omnes motus species; non enim motui tantummodo locali convenit, sed omnibus speciebus quas dari contra recentiores probatur. Ideo sit



ARTICULUS II.

Ad quæ prædicamenta datur motus.

NOtandum 1. est quod juxta recentiores datur tantum motus ad ubi, & proinde unicum in Physicis motum localem admittunt. Illud facilè colligere possumus inquit D. Ant. le Grand parte 4. de Physica generali, art. 16. pag. 184. *Si recordemur quantitatem à materia extensa non distingui; quia cum nullus detur motus ad substantiam, ad materiam quæ substantia est non potest dari, & per consequens*

consequens neque ad quantitatem quæ ei identificatur, neque minus ad qualitates, quas ut entia fictitia jamdudū rejecimus. Superest igitur ut unicus motus localis à nobis admitti debeat.

Notandum est 2. ad motum successivum, de quo ibi agitur, tres præcipuè requiri conditiones. Prima est ut sit inter terminos positivos. Secunda est ut termini illi sint contrarii. Tertia est ut habeant latitudinem successivè percurrendam. Per illas conditiones motus successivus distinguitur à motu instantaneo. Nam eo ipso quòd termini sint positivi, sint se expellentes, & latitudinem habeant, faciunt ut in tempore fiat motus.

Dicendùm est dari tantùm motum ad tria prædicamenta, nempè ad quantitatem, qualitatem & ubi.

Probatur 1. Tres conditiones assignatæ conveniunt illis tribus prædicamentis: sunt enim entia positiva ut patet: sunt entia contraria contrarietate sufficiente, cum se expellant invicem, ut videtur in parva & magna quantitate, in frigore & calore: habent etiam latitudinem successivè percurrendam; quantitas enim successivè acquiritur, qualitas etiam & ubi, ut omnibus manifestum est; ergo ad illa tria prædicamenta datur motus, non vero ad alia. 1. Non datur ad substantiam, quia cum sit ex se indivisibilis, non habet latitudinem successivè percurrendam, non habet etiam contrarium. 2. Non datur ad actionem & passionem, quia cum actio & passio sint realiter motus, & cum non detur motus ad motum, non datur motus ad actionem, neque ad passionem. 3. Non datur

motus ad relationem, situm, habitum, quando, quia illa omnia fiunt in instanti, & ita per motū nec acquiruntur, nec producuntur, nec consequenter ipsum terminant : illa autem fiunt in instanti, quia producuntur per resultantiā. Relatio enim resultat ex positione fundamenti posito termino. Quando, ex motu primi mobilis. Situs ex ubi quod est terminus motus localis. Habitus vero ex motu locali quo vestes applicantur corpori.

Prob. 2. Præcisè contra recentiores qui dicunt dari tantum motum ad ubi, sive dari tantum motum localem. Ideo ex ipsis non datur motus ad quantitatem quia quantitas non distinguitur à substantia ad quam non datur motus; & ideo ex ipsis etiam recentioribus non datur motus ad qualitatem, quia qualitates non sunt aliquid distinctum à subjectis; atqui quantitas distinguitur realiter à substantia, & qualitates distinguuntur realiter à subjectis ut probabitur in prima parte Physicæ; ergo datur motus ad quantitatem & qualitatem.



ARTICULUS III.

De distinctione motus ab actione & passione, & de subjecto actionis.

Dicendum est motum realiter modaliter distingui ab actione & passione.

Prob. ens realiter incompletum distinguitur ante omnem mentis operationem ab ente realiter completo : atqui motus est ens omnino incompletum , siquidem nihil aliud est quam fluxus & via ad terminum , & ideo à prædicamentis excluditur : actio vero & passio sunt entia completa , & directè ponuntur in prædicamento ; ergo motus distinguitur realiter modaliter ab actione & passione.

Dicendum est 2. Actionem essentialiter & propriè dictam non tantum immanentem , sed etiam transeuntem subjectari in agente.

Prob. 1. Auctoritate Sancti Thomæ qui 2. cont. gent. cap. 9. sic loquitur. *Actio quæ non est substantia agentis, inest ei sicut accidens subjecto, unde & actio inter novem prædicamenta accidentis computatur.* Illa autem auctoritas non tantum intelligitur de actione immanente , sed etiam de transeunte ; loquitur enim de actione prædicamentali : atqui actio transiens est prædicamentalis, æqueac immanens ; ergo illa auctoritas est etiam intelligenda de actione transeunte.

Prob. 2. Ex nostro Milhet Doctore Solidissimo. In eo subjectatur actio tanquam in subjecto proprio,in quo habet suum effectum formalem , & quod denominat formaliter: sed in agente habet suum effectum formalem, ipsumque formaliter denominat , non autem ipsum passum ut per se patet , siquidem actio est illud per quod causa constituitur actu causans ; ergo actio etiam transiens subjectatur in agente.

Obj. 1. Sanctus Thomas multis in locis docet quod actio, passio & motus sunt eadem

entitas; ergo recipiuntur in eodem subjecto, sicut ergo passio est in passo, ita & actio. Præterea q. 7. de pot. art. 1. docet actionem transeuntem denominare agens, licet in eo non sit. Sic enim loquitur. *Contingit denominari aliquid ab eo quod non est forma, sicut agens denominatur actione quæ ab ipso procedit.* Plurimæ aliæ sunt auctoritates Arist. & S. Th. quæ idem videntur docere; ergo actio non subjectatur in agente.

Resp. dist. Omnes auctoritates Sancti Thomæ & Arist. Actio Physicè sumpta subjectatur in passo conc. Actio Metaphysicè sumpta de qua ibi loquimur, subjectatur in passo neg. Quia licet actio, passio & motus, Physicè sint unum & idem, & consequenter recipiantur in eodem subjecto: actio tamen Metaphysicè sumpta hoc est secundum ejus rationem præcisam, quatenus scilicet est actualitas seu actus secundus quo formaliter & intrinsecè agens agere dicitur, actio inquam, Metaphysicè sumpta subjectatur in agente. Et sic explicandæ sunt omnes auctoritates Aristotelis & Sancti Thomæ.

Obj. 2. Debet esse aliquod discrimen inter actionem immanentem, & transeuntem: atqui nullum posset assignari discrimen, si actio subjectaretur in agente; ergo &c.

Resp. neg. min. Quia actio immanens non distinguitur à transeunte, ex eo quod una sit in agente & altera in passo, sed in hoc quod actio immanens non producit effectum in passo v. g. visio quæ est actio immanens non producit effectum in passo, benè tamen actio transiens producit effectum in passo

v. g. calefactio quæ est actio transiens producit effectum in passo nempè calorem.

Obj. 3. Illud in quo subjectatur actio, debet ab ipsa moveri, cum actio sit motus: atqui agens non movetur per ipsam actionem, alioquin ignis calefaciendo calefieret, quod est absurdum; ergo actio non subjectatur in agente.

Resp. 1. dist. ma. illud in quo subjectatur actio Physica, debet ab ipsa moveri conc. illud in quo subjectatur actio Metaphysica debet moveri ab ipsa neg. Quia cum actio Physica sit idem cum motu ut jam dictum fuit, debet proindè immutare subjectum in quo recipitur, non tamen actio Metaphysica de qua ibi loquimur.

Resp. 2. dist. maj. Illud in quo subjectatur actio debet ab ipsa moveri, propriè vel impropriè conc. propriè semper neg. similiter dist. min. Atqui agens non mutatur propriè conc. impropriè neg. Quia agens dicitur impropriè mutari, quatenus transit de otio in actum, non autem propriè mutatur, quia in eo nullus effectus producitur, & proindè ignis non dicitur seipsum calefacere.

Inst. Atqui subjectum immutaretur propriè; ergo nulla solutio prob. subs. subjectum formæ accidentalis immutatur propriè per ipsam, quia forma accidentalis educitur de potentia subjecti in quo recipitur, in eductione autem reperitur vera & realis subjecti transmutatio: atqui agens esset subjectum formæ accidentalis nempè actionis; ergo propriè immutaretur.

Resp. neg. subs. ad cujus probationem dist.

maj. Subjectum formæ accidentalis Physicæ & permanentis immutatur proprie conc. subjectum formæ accidentalis Metaphysicæ neg. quia cum actio Metaphysica non sit forma accidentalis permanens, & cum non extrahatur de potentiâ passiva subjecti, sed potius de potentia activâ ipsius agentis, non propriè educitur, & ita propriè non immutat subjectum.



ARTICULUS IV.

A quo motus desumat unitatem specificam & numericam.

Dicendum est. 1. Motum sumere suam unitatem specificam ab illo termino ad quem datur.

Prob. ab illo motus desumit suam unitatem specificam, à quo desumit suum esse: atqui desumit suum esse à termino ad quem datur; ergo desumit suam unitatem specificam à termino. Prob. min. Motus est via & tendentia ad terminum; ergo desumit suum esse à termino.

Dicendum est. 2. Et ultimò, motum sumere suam unitatem numericam ab unitate mobilis, ab unitate termini ad quem, & ab unitate temporis.

Prob. omne accidens desumit suam unitatem numericam à subjecto in quo inhæret, ut infrà probabitur: atqui motus recipitur in mobili; ergo motus sumit suam unitatem numericam ab unitate mobilis. Requiritur

etiam unitas termini; quia idem motus non potest simul tendere ad duos terminos numero diversos: requiritur etiam unitas temporis; & ideò si per aliquod instans motus interrumpatur, cessat ille motus; ergo motus sumit suam unitatem numericam ab unitate mobilis, ab unitate termini ad quem, & ab unitate temporis.



ARTICULUS V.

Vtrum detur actio in distans & rejicitur sententia Digbæi.

Notandum est. Quod quando quæritur utrum detur actio in distans, idem est ac si quæreretur utrum agens debeat esse conjunctum passo: agens autem potest conjungi passo duplici modo, scilicet per conjunctionem sive approximationem formalem & virtualem. approximatio verò formalis, quæ alio nomine dicitur immediatio suppositi, consistit in hoc, quòd agens sit conjunctum passo secundum substantiam; sic ignis v. g. conjungitur ligno. Approximatio virtualis, quę alio nomine dicitur immediatio virtualis, consistit in hoc quod agens sit conjunctum passo per virtutem aliquam à se diffusam; sic sol conjungitur visceribus terræ, non quidem approximatione formali (ut patet) sed conjungitur per virtutem aliquam à se diffusam. Quæritur ergo utrum agens debeat esse conjunctum passo vel approximatione

formali vel approximatione virtuali.

Dicendum est non dari actionem in distans ita vt agens debeat esse conjunctum passo vel approximatione formali, vel approximatione virtuali.

Prob. res quælibet non minùs dependet à loco, quàm à tempore: sed nulla res potest operari in tempore in quo non est vel formaliter vel virtualiter; ergo res non potest operari in loco in quo non est, vel formaliter, vel virtualiter. Prob. maj. & paritas. Sicut duratio rerum mensuratur à tempore, & proindè ab ipso finitur cum suâ virtute activâ; ita extensio rei & virtutis ejus mensuratur à loco, & proinde terminatur & limitatur ab illo; ergo quælibet res non minus dependet à loco, quàm à tempore. Præterea si agens non deberet conjungi passo per aliquam approximationem, saltem virtualem, sequeretur quòd virtus activa agentis, esset infinita. Quia ageret ad spatium infinitum: atqui nulla potest esse virtus infinita; ergo agens debet esse conjunctum passo, approximatione saltem virtuali; hoc est debet diffundere aliquam virtutem per quam attingat passum.

Obji. 1. Si virtus aliqua diffunderetur per medium, deberet producere eundem effectum in medio ac in passo: atqui illa virtus per medium diffusa non producit eundem effectum in medio ac in passo; v. g. ignis inflammat sulphur aliquantulùm ab eo remotum, non vero aërem proximiorem; ergo agens non diffundit virtutem per medium.

Resp. neg. maj. quia illa virtus non inve-

nit easdem dispositiones in aëre & in sulphure, unde ignis inflammat sulphur, non vero aërem; quia sulphur est siccum, & ita habet dispositiones ad formam ignis: aër verò humidus, & proinde non potest ita facile ignem concipere.

Obji. 2. Ideo agens debet diffundere aliquam virtutem quæ recipiatur in passo, quia seclusâ illâ virtute per medium diffusâ, virtus agentis esset infinita: atqui licet talis virtus per medium diffundatur, erit infinita, quia poterit agere in qualemcumquè distantiam; si enim ipsa virtus diffusa attingat passum ad duas leucas? Cur non poterit ad viginti vel triginta leucas, & sic in infinitum; ergo non est necesse ut ab agente diffundatur aliqua virtus.

Resp. neg. mi. quia agens ita diffundit virtutem suam per medium, ut quanto magis illa virtus recedit ab agente, magis debilitatur, vel propter resistentiam medii, vel propter ipsum modum quo recipitur in medio; virtus enim in subjecto extraneo imperfectiori modo suscipitur, & consequenter debilius operatur; ita dicendum quod illa virtus operatur secundum subjecti dispositionem, quia (ut ait S. Tho. in 2. dist. 14. quæst. 1. art. 2. ad sextum.) *Causæ naturales secundùm rei subjectæ naturam & conditionem operantur. Unde lux cœlestia corpora suo collustrat splendore, sed non calefacit, Elementa subsequentia & calefacit & illustrat, terræ denique viscera calefacit, & non illustrat, quia in solâ ejus superficie recipitur.*

Inst. atq. illa virtus per medium diffusa

non debilitatur, quo magis recedit ab agente; ergo nulla solatio. Prob. subs. illa virtus recepta in subjecto remoto fortius agit quàm in subjecto propinquo; ergo non debilitatur. Prob. ant. calor solis producit ignem in aliquo bituminis genere quod vocatur, *Naphta*; ipse tamen calor non producit ignem in aëre propinquiori. Idem proponitur argumentum de speculo ardenti producente ignem in panno opposito & non in aëre intermedio; ergo illa virtus non debilitatur, quo magis recedit ab agente.

Resp. neg. subs. ad cujus prob. disting. ant. virtus illa recepta in subjecto remoto fortius agit per accidens conc. per se neg. quia licet illa virtus producat effectum majorem in subjecto remoto quam in propinquo, non indè sequitur quod illa virtus sit fortior & intensior; sed sequitur quod est major dispositio in subjecto remoto quam in propinquo; & ita dicendum quod ignis producitur in *Naphtâ* non verò in aëre, quia est major dispositio in ipso bitumine quam in aëre. Eadem ratione in ardenti speculo uniuntur magis radii lucis, majoribusque assumptis viribus ignem è panno subjecto educunt quem educere non potuissent recepti in materiâ rarâ & minus politâ, quia minus idonea est ad uniendos radios lucis.

Obji. 3. Pulvis quem dicunt sympathicum, qui fit ex vitriolo vel simplici, vel ad vehementissimos caniculæ æstus calcinato, applicatus sanguini quo imbuitur aliquod linteum, sanat vulnus hominis distantis ad centũ leucas (ut plurimis patet experientiis:)

at qui manifestum est quod pulvis ille sympathicus non potest diffundere suam virtutem in subjectum tam longo spatio distans; ergò datur aliquod agens quod producit aliquem effectum nullâ virtute diffusâ per medium.

Resp. quòd non satis constat de experientiis in magnâ distantiâ factis. Si autem veræ essent illæ experientiæ in tantâ distantiâ factæ, dicendum, quòd illa omnia fiunt arte dæmonis; & si beneficio illius pulveris in locis parum remotis fiat curatio corporis vulnerati, non tamen indè sequitur, quòd detur actio in distans, quia illud fit per diffusionem alicujus virtutis, quæ diffusio ita contingit. Cū aliquis gravi est sauciatus vulnere, sumitur linteum tinctum sanguine hujus vulneris, mox immergitur in vas plenum aquâ tepidâ, & aspersâ pulvere sympathico, indè fit quòd ex illo vase oriuntur subtiliores partes & spiritus sanguinis & vitrioli simul mixti, qui spiritus cum habeant virtutem aliquam balsamicam (ut notat Digbæus in opusculo de pulvere sympathico) & cum illi spiritus redeant ad vulnus illud sanant: si verò quærat aliquis, quomodo spiritus sanguinis & vitrioli possunt redire ad corpus hominis vulnerati.

Resp. quòd inutilia & falsa sunt principia quæ Digbæus admittit. Ad explicandum illum pulverem sympathicum dicit, 1. quòd lumen consistit in quibusdam corpusculis quæ tangunt & percutiunt corpora quæ illuminat. 2. Supponit quòd illa corpuscula luminis evellunt ab objectis quæ tangunt, quasdam particulas quas secum defferunt quandiu lucet sol, & quas relinquunt ad solis

occasum; & ita 3. supponit quod aër est plenus plurimis omnium corporum particulis. 4. Supponit quòd ignis & omnia corpora calida trahunt ad se aërem. 5. Denique quòd omnia corpuscula quæ trahuntur cum aëre, redeunt ad corpora ex quibus orta fuerunt, quia habent eamdem figuram, densitatem & soliditatem. His suppositionibus sic pulveris sympathici effectum explicat; dicit enim quòd lux trahit partes subtiliores vitrioli cum spiritibus sanguinis effusi permixtas, & quòd illæ partes volitant per aërem. Cum auté pars vulnerata sit calida trahit aërem cum subtilioribus sanguinis & vitrioli partibus quæ sanant & reficiunt illud vulnus: sed suppositiones illæ falsæ sunt. Prima suppositio est falsa, quia lux non consistit in corpusculis (ut infra probabitur.) Secunda suppositio est etiam falsa, quia licet lux consisteret in corpusculis, falsum est quòd illa corpuscula possent ab objectis avellere quasdam particulas? Quomodo enim illa corpuscula maximè quidem fluxa & tam debilia possent ab objectis avellere quasdam particulas. Ex his omnibus evidenter conjicitur tertiæ suppositionis falsitas; si enim lux non possit evellere ab objectis illas particulas, aër illis particulis non est plenus. Quarta suppositio est quidem vera, sed illius suppositionis rationem ignorat Digbæus; dicit enim quòd ignis trahit aërem cum suis particulis; quia ignis emittit semper ignea aliqua corpuscula quæ recedendo ab igne partes aëris viciniores secum adducunt; & ita expulso aëre mox succedit alter aër remotior. Sed illius propositionis falsitatem ostendet

det alterius rationis exponendæ veritas. Dicendum ergò quòd ignis & cætera corpora calida expellunt aërem quem tangunt, quia illum aërem rarefaciunt, & cum ille aër dum rarefit, levior fiat, sursum ascendit, cujus locum occupat alter aër. quinta suppositio est etiam falsa; supponit enim quòd particulæ illæ per aërem volitantes, potius redeunt ad corpora à quibus exierunt quàm ad alia corpora, quia habent eandem gravitatem, soliditatem & figuram: sed falsum est, quòd gravitas soliditas, & figura possint esse causa talis motus & talis unionis. Videmus enim experientia, quòd plurima corpora super aquas fluctuantia & habentia eandem gravitatem, soliditatem & figuram, non tamen uniuntur cum unum accedat ad aliud, sed se expellunt. Quomodo ergò partes subtiliores vitrioli cum sanguine effuso permixtæ redeunt ad vulnus, potest illud explicari triplici modo.

Primò quia corpus hominis vulnerati communicat aëri aliquam qualitatem sympathicam: illa autem virtus per aërem diffusa, cum occurrat spiritibus sanguinis & vitrioli, illos spiritus determinat ut redeant ad corpus ex quo olim exiere.

Secundò docet recens Philosophus, quod illi spiritus sanguinis & vitrioli trahuntur à corpore hominis vulnerati, vel ab connaturalitatem, vel ob indigentiam. Ob connaturalitatem quidem, quia sanguis effusus fuit quondam portio hominis vulnerati, unde ipsi connaturalior est quàm aliis hominibus; ideòque libentius ei adjungitur, non

verò aliis. Ob indigentiam, quia quælibet res attrahit illa quæ ſibi proſunt, & cum illi ſpiritus habeant in ſe virtutem aliquam balſamicam, corpus hominis vulnerati trahit illos ſpiritus.

Tertiò docet ille Philoſophus, quòd res omnes habent inclinationem naturalem, ut redeant ad locum in quo fuerunt genitæ vel conſervatæ; cum autem ſubtilior ſanguinis effuſi ſubſtantia fuerit genita in corpore hominis vulnerati, ſemper retinet aliquam inclinationem ut redeat ad illud corpus; & ita ſubtilior illa ſanguinis effuſi ſubſtantia per aërem diffuſa quærit ſemper & petit locum ſuæ conſervationis. Eâdem ratione poteſt explicari, cur corpus hominis occiſi ad præſentiam homicidæ ſanguinem effundat, quia ſpiritus hominis occiſi qui adhærere poſſunt veſtibus homicidæ, geſtiunt redire ad corpus à quo emanaverunt, & ejus præſentiâ excitati maximo impetu irrumpunt per vulnus, & reliquum ſanguinem commovent, & effluere cogunt.

Obji. 4. Vinum Hiſpaniæ in Angliam tranſlatum quandam patitur alterationem, quando florent vineæ in Hiſpania: atqui illud contingit, quia vineæ agunt in illud vinum, nullam diffundendo virtutem per medium; ergo in illo ſaltem caſu datur actio in diſtans.

Reſp. neg. min. Illud autem ſic explicat Digbæus. Dicit enim quòd ſpiritus continuò oriuntur ex vineis; ſimiliter quòd ſpiritus oriuntur à vino intra aliquod dolium occluſo. Deinde dicit quòd illi ſpiritus à vineis & vino orti per aërem diffunduntur, & ſeſe im-

mediatè tangunt; ita ut ſpiritus à vino exeuntes, cum ſint fortiores, determinant ſpiritus à vineis provenientes, & ita illi ſpiritus ſimul mixti & conjuncti ſimul ad dolium convolant, in quo producunt talem effectum: ſed illud fidem ſuperat, quòd ad tantam diſtantiam illud ita poſſit evenire; dicendum ergo quòd talis alteratio fit in vino, quia eadem conſtellatio ſive influxus cæleſtis, qui facit ut floreant vineæ in Hiſpaniâ, cauſat talem alterationem in vino tranſlato in Angliam. Eodem modo explicanda eſt illa mutatio quæ contingit in quorumdam fructuum certis imaginibus, quæ in plurimorum hominum corporibus impreſſæ videntur, & illæ imagines repræſentant vel fraga, vel cœraſa, vel alios fructus; conſtat experientiâ, quòd illæ imagines videntur quaſi florere & rubeſcere, cum matureſcunt veri fructus quos repræſentant, & videntur quaſi areſcere, cum illorum fructuum tempeſtas elapſa eſt; non ergo dicendum quòd illa mutatio fiat propter corpuſcula emiſſa à veris fructibus, cum eadem contingat mutatio hominibus regiones incolentibus in quibus terra hujuſmodi fructus non producit: ſed dicendum, quòd ſicut illæ fructuum imagines ſunt ſimiles fragis, vel cœraſis quantum ad figuram, ita habent aliquas ſimiles qualitates, quæ qualitatum conformitas facit, ut conſtellatio eadem ſimilem producat mutationem, & in veris fragis, & in imaginibus fragorum figuram repræſentantibus.

Obji. 5. Ignis, baſiliſcus, oculi mulierum faſcinantes, & torpedo ſunt agentia naturalia;

atqui illa omnia agunt nullam virtutem diffundendo per medium; ergo datur actio in distans. Prob. min. Quoad omnes partes plurimis experientiis. 1. Constat experientiâ, quòd superiores partes aquæ in lebete, quando igni apponitur, sunt calidissimæ, fundus tamen lebetis est tepidus. Similiter oleum papyro superimpositũ ita incalescit igni subjectum, ut carnes coquat (cartâ tamen remanente integra:) atqui illa omnia non evenirent si ignis diffunderet virtutem per medium, quia illa virtus ageret in infimas partes aquæ & in cartam; ergo ignis agit, quin diffundat virtutem per medium. 2. Basiliscus hominem visu interficit, non verò aliud corpus vivens intermedium. Similiter oculi quarumdam mulierum fascinant pueros, non autem viros propinquiores. Torpedo denique stupefacit manum piscatoris, non verò illius arudinem; ergo signum est, quòd illa omnia agentia naturalia non diffundunt virtutem per medium.

Resp. neg. min. & ad omnes experientias dico. 1. Quòd ideò aqua lebeti superposita est maximè calida, fundus tamen lebetis est tepidus, quia partes crassiores aquæ & minus aptæ ad recipiendum calorem ad fundum descendunt, & ita impediunt, quominus fundus lebetis sit calidus, quia cum se insinuent intra poros lebetis ignis calore apertos, illum reddunt tepidum. Similiter ignis carnes coquit papyro superpositas, & ipsa carta remanet integra, quia partes subtiliores olei supra ascendunt, crassiores verò descendunt & magis resistentes igni, faciunt, ut carta

remaneat integra. 2. Basiliscus visu interficit hominem, non verò aliud corpus, quòd est magis aptum ut expellat qualitatem malignam à basilisco provenientem. Similiter torpedo stupefacit manum piscatoris per venenum diffusum ab hamo per arundinem usque ad manum. Oculi denique mulierum fascinantes malignam aliquam qualitatem diffundunt, quæ tenera infantium corpora lædit, non verò virorum corpora, quia magis resistunt.

Objj. ultimò. Finis movet appetitum, & tamen illum non tangit, nam aliquando est distans ut beatitudo movet, dum non est, ut futura sanitas movet infirmum ad sumendam potionem; ergo datur actio in distans.

Resp. Quòd totum illud argumentum nihil facit contra nostram sententiam, quia in illo argumento agitur de causa finali. Quæstio verò nostra procedit de causa efficiente; Aristoteles autem docet, quòd finis non agit ut causa efficiens; sed tanquam illud cujus gratia aliquid fit; non autem necesse est, ut causa finalis sit ubi operatur, sed sufficit ut cognoscatur.



ARTICULUS VI.

An detur motus localis.

Dicendum est dari motum localem. Prob. Constat experientia volare

aves, natare pisces, currere equos, unum denique corpus migrare è loco in locum; ergo datur motus localis. Præterea licèt ad statuendam firmandamque hanc hypotesim, Pphysica experimenta rectè applicato sensu comprobata sufficere possint, non desunt tamen rationes quibus evidenter probatur dari motum.

Prima duci potest à fine motus; cum enim res creatæ ubique simul esse non possint, certè ut illo bono gaudeant quo forte carent, & ut conjungantur suo fini, motu locali opus est; sitit equus, abest aqua, certè nisi vel hæc propinquetur, vel ille accedat, sitim levare non poterit; at neutrum sine motu haberi potest: lapis removetur à suo centro, à suo globo, à suo fine, ut se se illi restituat, deorsum cadat necesse est. Itaque cum ad finem res omnes creatæ institutæ sunt, quem sine motu assequi non possunt; igitur dari motum necesse est, ut res creatæ eum locum acquirant, in quo suo bono, suo fini, suæ perfectioni conjungantur; vel saltem id muneris obeant, cui ab ipsa naturâ destinantur.

Secunda ratio ducitur à causa efficiente; nisi enim daretur motus, frustra daretur potentia motrix, tum in animantibus, tum in gravibus.

Tertia petitur à termino motus; cum enim globus projectus sit in novo loco in quo ante non erat; certè novus locus qui succedit alteri relicto, est terminus motus; ergo si est novus locus, est quoque motus. Hæ & plurimæ aliæ rationes referuntur à Petro Mons-

nerio Doctore Medico, hasque excerptas fatetur ipse ex prælectionibus R. P. Honorati Fabry; ergo certum est dari motum localem *illudque tam evidens & apertum est*, inquit Joannes de Raëi in sua clavi Philosophiæ naturalis Aristotelico-Cartesiana de origine motus, sectione prima pag. 55. *Ut credibile non sit ullos homines repertos unquam fuisse, qui serio id negaverint, vel in dubium vocaverint. Quod animadvertens Diogenes, non alio modo, quam surgendo, obambulandoque confutandas censuit Zenonis adversus motum localem argutias. Cumque ejusdem farinæ Sophista Diodorus ad Herophilum Medicum accessisset, ut sibi humerum luxatum restitueret, bono ipsum esse animo Herophilus jussit, neque enim fieri potuisse, ut emoveretur loco humerus. Nam inquit aut emotus fuit quo in loco erat (hoc pacto enim cavillari solebat sophista adversus motum) aut in quo non erat: at neque in quo erat, neque in quo non erat; igitur emotus non fuit. Quod ille quidem audiens deprecatus est, ut manum, missis argutiis, ad curationem adhiberet: &, si non antea, tum proculdubio credidit, in suo saltem corpore reperiri motum localem.*



ARTICULUS VII.

De definitione motus localis contra Cartesium.

NOtandum est quòd naturam motus localis explicant diversi Philosophi,

varias de ipso motu tradentes definitiones. Cartesius dicit secunda parte principiorum num. 25. pag. 46. *Motum esse translationem unius partis materiæ, sivè unius corporis, ex viciniâ eorum corporum, quæ illud immediatè contingunt, & tanquam quiescentia spectantur, in viciniam aliorum*: Aliæ ab aliis Philosophis assignantur definitiones quæ in subsequentibus articulis discutientur.

Dicendum est definitionem motus localis à Cartesio traditam, non esse bonam.

Prob. 1. Motus localis non est translatio corporis, si ubi reperiatur translatio, ibi non reperiatur motus localis: atqui ubi est translatio corporis, ibi non reperitur motus localis; ergo motus localis non est translatio corporis. Prob. min. Certum est quod aliquis sedens & quiescens in navi, transfertur de uno loco in locum, & tamen non movetur, quia impossibile est concipere motum in quiescente. Similiter lapis qui defertur ab aliquo deambulante, certè transfertur de uno loco in alium, & tamen non movetur; nunquid enim absurdum est dicere quod eodem modo sit motus localis in lapide qui defertur ac in lapide qui projicitur, proinde errat Cartesius quando nullum ponit discrimen inter mutare locum & moveri localiter, quia certum est quod ille sedens in navi mutat locum, & tamen non movetur localiter; ergo ubi est translatio corporis, ibi non est motus localis, & proindè motus definitio tradita à Cartesio non est bona.

Prob. 2. Motus localis quem describit Cartesius etiam ipso fatente est reciprocus;

itaut reciproca & mutua sit corporum translatio v. g. quando currus removetur à domo, non tantum currus removetur à domo, sed domus removetur à curru. *Ipsa enim translatio,* inquit Cartesius parte 2. principiorum nu. 29. *est reciproca, nec potest intelligi corpus A. B. transferri ex vicinia corporis C. D. quin simul etiam intelligatur corpus C. D. transferri ex vicinia corporis A. B. ac planè eadem vis & actio requiritur ex una parte atque ex altera:* Atqui nihil absurduis dici potest quam quod domus removeatur à curru, quando currus removetur à domo. *Nihil,* inquit Henricus Morus Cantabrigiensis in suo Enchiridio Metaphysico cap. 7. num. 4. *Ab omni Philosophia magis alienum dici potest vel excogitari nempè ut sola duorum corporum à se invicem separatio faciat ut æquali jure utraque moveri dicantur, ex eo utique solummodo, quod nova vicinitas fiat circumjacentium corporum;* ergo cum motum esse reciprocum sequatur ex definitione motus tradita à Cartesio, non est admittenda ipsa definitio.

Obj. Motus est translatio, si corpus correspondens eidem corpori contiguo, non dicatur mutare locum: atqui corpus correspondens eidem contiguo non dicitur mutare locum; ergo motus est translatio prob. min. pars integrans alicujus totius non dicitur mutare locum, quamdiu correspondet eisdem partibus ejusdem totius v. g. caput hominis non dicitur mutare locum, licèt homo ducentas leucas conficiat, quia semper caput correspondet eisdem partibus corporis; ergo à pari corpus correspondens eidem corpori

contiguo non dicitur mutare locum.

Resp. neg. min. ad cujus prob. neg. conf. Quia non eodem modo ratiocinandum est de parte ac de toto: siquidem quando agitur de parte integrante, quamvis mentio nulla habeatur de toto, pars tamen ipsa concipitur per ordinem ad totum. Ideo cum quæritur an caput hominis mutaverit locum, dicendum certè quòd quamvis homo ducentas confecerit leucas, caput hominis non tamen mutavit locum, quia semper in eodem situ mansit respectu corporis. Sed diverso modo ratiocinandum est de toto v. g. de turri & de ligno intra aquas natante, respectu corporis ambientis, quia illa omnia nullam habent connexionem cum partibus corporum ambientium. Ideo ad cognoscendum quando aliqua corpora mutant locum, non est attendendum an corpora vicina & contigua sequantur vel recedant, sed attendendum an illa corpora superiorem vel inferiorem locum occupent, hoc est an magis vel minus distent à punctis fixis mundi.



ARTICULUS VIII.

De definitione motus localis tradita à Roalto.

Notandum est quod Roaltus Cartesii discipulus motum localem describens definitionem tradit diversam quidem à sui

Magistri definitione. Dicit enim prima parte Physicæ cap. 10. art. 2. quòd *motus est successiva applicatio corporis, diversis partibus corporum quæ ipsum circumdant & immediatè tangunt.*

Dicendum est ipsam Roalti definitionem non esse bonam.

Prob. Si motus esset successiva applicatio corporis diversis partibus corporum quæ ipsum circumdant & immediatè tangunt sequeretur quod turres semper moverentur, & mutarent locum, quia applicantur diversis partibus corporum : atqui absurdum est dicere quòd turres moveantur & mutent locum ; ergo motus non est successiva applicatio &c. majorem propositionem non negat Roaltus, siquidem propter motus definitionem traditam dicit in eodem capite art. 4. *Quod piscis in eadem littoris parte semper manens movetur & mutat locum, si diversæ partes aquæ ipsum successivè abluant. Similiter lignum intra aquas natans quamvis interipsas aquas fluctuet & ducentas etiam leucas conficiat non tamen movetur, posito quòd semper eisdem partibus aquæ correspondeat.* Quam autem absurda sint hæc omnia nemo non videt ; certum est enim quod piscis ille non moveretur, lignum vero intra aquas fluctuans posito quod posset etiam eisdem aquæ partibus semper correspondere, non moveretur quidem proprio motu, sed tantum ad motum aquæ transferretur & mutaret locum.



ARTICULUS IX.

De definitione motus localis tradita à peripateticis.

DIcendum est secundum peripateticos motum localem esse migrationem vel transitum ex uno loco in alium locum continuo fluxu.

Probat. 1. & explicatur definitio 1. Dicitur transitus ex uno loco in alium locum, ex quibus patet quòd motus essentialiter importat duos terminos, nempè terminum à quo & terminum ad quem, importat etiam duo instantia quia est aliquid successivum. 2. Additur continuo fluxu; ad motum enim localem requiritur continuus fluxus in spatio, itaut locus acquisitus immediatè succedat loco relicto, nequè fiat motus nisi per medium. Unde si Petrus destrueretur Tolosæ in instanti A. & in instanti B. reproduceretur Romæ, non diceretur moveri localiter.

Prob. 2. Motus localis differt ab alio quocumque motu per vocabula contenta in illa definitione; ergo est bona prob. ant. Cæteri motus terminantur vel ad quantitatem, vel ad qualitatem, motus verò localis terminatur ad ubi, ut patet ex definitione; ergo motus localis differt ab alio quocumque motu.

Obj. 1. Est verus motus quin sit migratio ex uno loco in alium locum; ergo definitio tradita

tradita à peripateticis non est bona. Prob. ant. in rota figuli est motus & tamen non est migratio ex uno loco in alium locum, quiâ rota figuli semper manet in eodem loco; ergo est verus motus sine migratione.

Resp. neg. ant. ad cujus probationem dist. ant. Rota figuli non migrat de loco in locum secundum se totam conc. secundum partem neg. Quia motus rotæ non fit sine migratione de loco in locum, non respectu quidem totius quod à loco totali non egreditur, sed respectu partium quarum una migrat de loco superiori ad inferiorem, altera vero de loco inferiori ad superiorem.

Inst. Si concipiatur aliquod indivisibile in eodem loco semper manens & sese circulariter movens, tunc erit verus motus & tamen non migrabit ex uno loco in alium locum, neque secundum se totum, ut constat ex suppositione, neque secundum partem quia indivisibile non habet partem; ergo aliquid potest moveri, quin migret ex uno loco in alium.

Resp. Quod illa suppositio non potest fieri de puncto Physico, quia non dantur puncta Physica sive atomi ut probabitur in prima parte Physicæ. Non potest etiam fieri de puncto Mathematico cui per se motus non potest convenire, & quamvis motus per se puncto posset convenire, non ita tamen circulariter moveretur quin modo versus unam partem, modo versus aliam inclinaret & ita migraret de uno loco in alium.

Obj. 2. Si quis existens in navi moveatur à prora ad puppim eadem velocitate quâ mo-

vetur navis, ita ut si navis in suo motu trium digitorum spatium percurrat, homo similiter intra idem tempus idem spatium percurrat, hic homo certè movebitur, non tamen migrabit ex uno loco in alium locum, quia semper æqualiter distat à punctis fixis mundi; ergo potest esse motus sine migratione ex uno loco in alium.

Resp. cum Bernerio Gassendi discipulo, quod ille homo migrat ex uno loco in alium secundum aliquas sui partes, scilicet quantum ad pedes quos modo elevat modo deprimit & ita eodem modo non distant à punctis fixis mundi. Potest etiam dici cum eodem Philosopho quod totum illius hominis corpus migrat ex uno loco in alium locum, quia non potest totum moveri corpus, nisi totum, modo elevetur, modo demittatur, & nisi proindè modo magis, modo minus distet à punctis fixis mundi.



ARTICULUS X.

Utrum dè novo producatur vel destruatur aliquis motus.

Contra Cartesium.

NOtandum est Cartesium supponere, ut jam dictum fuit, quod Deus ab initio creavit omnem materiam & illam divisit in partes quadratas, illisque partibus communicans motum, talem & tantam produxit motus copiam, qualis & quanta adhuc

à Deo conservata perseverat in hac rerum universitate, ita ut per continuam communicationem aliquid de illo motu transeat ab uno corpore in aliud, quin ullus de novo producatur aut deperdatur motus.

Dicendum est contra Cartesium motum de novo produci & deperdi.

Prob. Constat plurimos motus, qui de novo producuntur, in dies destrui: quando enim sagitta velocissimo motu ad parietem delata, in eo infigitur & immota quiescit, non imprimit motum suum in pariete nec in alio corpore; ergo corrumpitur omnino motus illius, & impulsus antea impressus; ergo motus de novo productus corrumpitur. Prob. ant. Quoad omnes partes 1. Si imprimeret motum in pariete, paries moveretur: atqui paries non movetur ut patet; ergo sagitta non imprimit motum in pariete. 2. Si sagitta imprimeret motum in alio corpore maximè in aëre: atqui non imprimit motum in aëre, quia licet sagitta, quamdiu movetur, moveat aërem pellendo illum à loco per quem transit, tamen quando moveri desinit, & in pariete infixa quiescit, nullomodo potest illum movere, quia corpus non potest movere aliud, nisi ipsummet moveatur; ergo sagitta motum in nullo corpore imprimit.

Confirmatur. Si motus sagittæ imprimeretur in pariete vel in aëre, motus transiret ex uno corpore in aliud: atqui motus non potest transire ex uno corpore in aliud. 1. Quia accidens non potest transire de subjecto in subjectum. 2. In sententia Cartesii est manifesta contradictio: nam juxta Cartesium motus

corporis non distinguitur ab ipso corpore; ergo cum corpus non transeat in aliud corpus, motus non potest etiam transire. 3. Juxta eundem Cartesium motus est modus corporis, modus autem essentialiter est affixus suo subjecto; itaut nec divinitus possit aliud subjectum modificare.

Obj. Si novus motus produceretur, sequeretur quod Deo tribueretur aliqua inconstantia & mutabilitas *adeò ut*, inquit Cartesius 2. parte princ. num. 36. *iis mutationibus exceptis, quas evidens experientia, vel divina revelatio certas reddit, quasque sine ullâ in creatore mutatione fieri percipimus, aut credimus, nullas alias in ejus operibus supponere debeamus, nec quæ inde inconstantia in ipso arguatur*: atqui in Deo non potest esse mutabilitas; ergo novus motus non potest produci.

Resp. neg. sequelam majoris, quia si ex productione alicujus novi motus, mutaretur Deus, mutatus etiam fuisset ex mundi productione, & quotidiè etiam mutaretur ex productione animarum rationalium.



ARTICULUS XI.

De tribus naturæ legibus à Cartesio assignatis.

NOtandum est quòd ut Cartesius faciliùs omnibus suadeat plurima quæ circa motus naturam excogitavit, tres naturæ leges statuit.

Prima naturæ lex est quod *quidquid movetur, nunquam cessat à motu, donec ab alio coërceatur, & quòd quidquid quiescit, semper quiescit, donec alterius corporis allisione à sua stabilitate dimoveatur.*

Secunda naturæ lex est quod *omnis motus ex seipso est rectus, & ideo quæ circulariter moventur, tendunt semper, ut recedant à centro circuli quem describunt.*

Tertia naturæ lex est quod *corpus motum quiescenti allidens, si fuerit fortius in suo motu, quam quiescens in sua stabilitate, ipsum movet, tantumdem de suo motu deperdendo, quantum alteri communicaverit. Si vero corpus quiescens sit fortius in sua stabilitate & quiete, quam corpus motum in suo motu, istud illi allidendo ut pila parieti, nihil deperdit de motu, sed tantum mutat viam & determinationem sui motus, resiliendo versus partem à qua fuit projectum.*

Dicendum est primam naturæ legem à Cartesio assignatam esse falsam.

Prob. Illa prima motûs lex est falsa si ex ipsis principiis Cartesii sequatur quòd corpus motum nusquam potest ab alio coërceri: atqui ex principiis Cartesii sequitur quod corpus motum numquam potest ab alio coërceri; ergo falsa est prima motus lex. Prob. min. Si corpus motum quiesceret, cum ab alio coërceretur, sequeretur quòd Deus mutaretur: atqui Deus non potest mutari; ergo corpus motum non potest ab alio coërceri. Prob. sequela maj. Ideo ex Cartesio quidquid movetur semper movetur, Donec coërceatur ab alio, quia Deus causans illum motum est immutabilis, & mutaretur si cessaret talis

motus; ergo à pari si talis motus impediretur ab extrinseco, Deus mutaretur.

Sed fortè dicet Cartesius quòd consequentia & paritas non valet, quia motus impeditus ab extrinseco non perit, sed communicatur alteri.

Sed contra: talis motus non potest alteri communicari; ergo perit. Prob. ant. Secundum Cartesium motus nihil aliud est quàm modus rei, sive ipsum subjectum modificatum: atqui modus non potest separari à re, sive à subjecto modificato, quia idem non potest separari à seipso; ergo motus non potest separari à corpore, & proindè non potest alteri communicari; ergo falsa est prima motûs lex.

Dicendum est secundam naturæ legem à Cartesio assignatam esse falsam.

Prob. Falsum est quòd omnis motus sit rectus, si aliqua sint quæ naturaliter moveantur motu circulari: atqui aliqua sunt quæ moventur motu circulari, ut sunt corpora cælestia & planetæ; siquidem ex principiis etiam ipsius Cartesii planetæ semper affectant motum circularem; ergo falsum est quòd omnis motus sit rectus. Præterea si illa naturæ lex ut vera sit admittenda dicendum quod hujus legis ratio non ab immutabilitate Dei est repetenda, ut videtur Cartesio, sed quod natura simplicissimâ viâ & maximè compendiosa progrediatur.

Dicendum est tertiam naturæ legem à Cartesio assignatam esse falsam.

Prob. Falsum est quòd si corpus motum in aliud corpus incurrens majorem habeat vim

ita illud aliud secum moveat, ut quantùm illi de suo motu dat, tantumdem perdat, quod patet isto exemplo: si lapis gravissimus ex alto impingat in paleam vel plumam volitantem, illamque semper tangens deorsùm tendat maxima velocitate movebitur, totidemque motus gradus imprimet paleæ vel plumæ & illa de suo motu nullum gradum perdet, ut per se notum est; ergo falsa est tertia lex motûs à Cartesio assignata.

Obj. pro tertia lege. Corpora projecta in alia corpora dura resiliunt, projecta vero in corpora mollia quiescunt: atqui ideo corpora projecta in alia corpora dura resiliunt, quia occurrunt corpori fortiori in suâ stabilitate; & ideo corpus projectum nihil deperdit de suo motu, sed tantùm mutat viam & determinationem sui motûs: corpora verò projecta in alia corpora mollia, ideo non resiliunt & mox quiescunt, quia in illa corpora mollia totum suum motum transmittunt; ergo vera est tertia naturæ lex à Cartesio assignata.

Resp. neg. min. Quia falsum est quòd corpus motum impingens in aliud durum, totum suum motum conservet, & tantum mutet motus viam & determinationem: constat enim motum ejus debilitari, & tandem omninò destrui, ut in pila projecta in parietem: Ratio autem propter quam corpora dura quando in suo motu impingunt in mollia, cito à motu cessant, non est, quòd motum suum in mollia transferant, sed quod corpus molle non habet conditiones necessarias ad repellendum corpus projectum, ut resiliendo

motum per reflexionem perficiat; ideo paululùm comprimendo ipsum corpus molle virtus impressa languescit, & irrito conatu tandem cum suo motu perit.



ARTICULUS XII.

Utrum corpora gravia & levia moveantur à seipsis.

NOtandum est quòd corpora gravia & levia habent in se principium activum & formale motûs, quod principium formale est duplex; aliud enim est principium radicale & remotum, scilicet forma substantialis; alterum verò proximum & immediatum, scilicet gravitas & levitas. Difficultas ergo consistit in hoc an res inanimatæ non solùm recipiant à generante utramque virtutem movendi se, scilicet formam substantialem, & gravitatem vel levitatem, sed etiam ab eodem generante recipiant ipsum motum tanquam à principio quod & efficiente; ita ut licet habeant in se principium quo & formale motûs, non tamen habent principium quod & efficiens.

Dicendum est corpora gravia & levia moveri efficienter, & ut quod à generante.

Prob. Generans debet tribuere genito, non tantùm esse, sed etiam quidquid spectat ad naturalem ejus dispositionem, quia qui dat esse dat ea quæ consequuntur ad esse: atqui ad naturalem dispositionem corporum gravium vel levium non viventium spectat quiescere in loco sibi proprio & naturali, ut in il-

lo conserventur; debet ergo generans tribuere illis corporibus motum quo consequantur locum sibi proprium: Proinde quando corpora gravia & levia removentur à tali loco sibi proprio & connaturali, si auferatur impedimentum, motus ille, quo tendunt ad hujusmodi locum, debet esse à generante; ergo corpora gravia & levia moventur efficienter & ut quod à generante.

Obj. 1. Effectus in actu exigit causam in actu; ergo cum motus quo corpora gravia & levia moventur sit actualis, postulat habere principium quod efficiens actuale: atqui sæpè generans vel est absens, vel est destructum; ergo corpora gravia & levia non moventur à generante.

Resp. dist. maj. Effectus in actu exigit causam in actu vel virtualiter, vel formaliter conc. formaliter tantùm neg. Quia, ut ait Div. Thomas, quæst. 3. de potentia, art. 11. ad 5. generatum tamdiu movetur à generante in gravibus & levibus, quandiu retinet formam sibi traditam à generante: sicuti instrumentum intelligitur moveri à principali agente quandiu remanet virtus à principali agente impressa.

Obj. 2. Gravia & levia dicuntur moveri à generante, quia locus pertinet ad statum naturalem corporum gravium & levium: atqui illa ratio nulla est; ergo gravia & levia non moventur à generante. Prob. min. Accressio, nutritio, motus cordis & aliæ actiones vitales non minus pertinent ad statum naturalem viventium, quàm locus pertinet ad statum naturalem corporum gravium &

levium: atqui illa omnia non tribuuntur generanti, quia operationes vitales debent provenire à principio intrinseco; ergo licet locus pertineat ad statum naturalem corporum gravium & levium, ipsa corpora non moventur à generante.

Resp. neg. min. & maj. Quia ideo locus pertinet ad statum naturalem corporum gravium & levium ex eo quòd debetur gravibus & levibus in instanti generationis; accressio verò & nutritio non debentur viventibus in instanti generationis. Bos enim dum generatur non postulat illam molem quam successu temporis per accressionem comparat, ita accressio & nutritio non pertinent ad statum naturalem viventium. Quantùm verò ad motum cordis, respondendum est quòd secundum D. Thomam motus cordis potest attribui generanti.



ARTICULUS XIII.

Vtrum gravia moveantur motu æquabili vel accelerato.

Notandum est quod motus æquabilis est ille quo æqualibus quibuscumque temporibus æqualia percurruntur spatia ab eodem mobili: motus autem acceleratus est ille quo mobile secundo tempore æquali primo majus spatium percurrit quam primo, & tertio quam secundo. Unde facilè intelli-

gendum est ex duobus motibus illum esse velociorem alio, quo mobile æquali tempore plus spatii conficit, motus verò retardatus est ille quo mobile æquali tempore secundo, minus conficit spatii quam primo, & minus tertio quam secundo.

Dicendum est gravia moveri motu accelerato.

Prob. 1. Corpus grave cadens ex majori altitudine majorem ictum infligit, quam si caderet ex minori altitudine: atqui illa experientia non potest explicari, nisi gravia dicantur moveri motu accelerato: illa enim major percussio aliunde oriri non potest quam ex velociore motu, nam si motus esset æquabilis eadem quoque esset percussio; ergo gravia moventur motu accelerato.

Prob. 2. Constat experientiâ quòd corpus grave in principio sui descensus lento admodum decidat motu; si æquabiliter ergo moveretur, nec descensum acceleraret, ingens temporis spatium in suo descensu impenderet. Præterea corpus per planum inclinatum lævigatum descendens, secundum spatium citius percurrit, quam primum; quòd etiam sensu percipi potest, & tam sæpè probatum est, ut nemo jam negare audeat motus naturalis accelerationem.





ARTICULUS XIV.

Vtrum motus acceleratio proveniat à materia ſubtili.

Contra Carteſium.

NOtandum eſt Carteſium docere corpora deorſum moveri per impulſum materiæ ſubtilis, motumque corporum accelerari per impulſum ejuſdem materiæ ſubtilis. Primum in prima Phyſicæ parte refutabitur. Secundum ibi nunc probandum,quod ſcilicet quamuis materia ſubtilis corpora deorſum pelleret, non poſſet tamen eſſe cauſa motus accelerati.

Dicendum eſt motus accelerationem non cauſari à materiâ ſubtili.

Prob. Si motus acceleratio cauſaretur à materia ſubtili, ubi eſſet major materiæ ſubtilis impulſus, ibi deberet eſſe major motus acceleratio; atqui falſum eſt quod ubi eſt materiæ ſubtilis impulſus,ibi ſit major motus acceleratio;ergo &c. Prob.min.quando corpora habentia figuram latam & maximè extenſam, deorſum à materia ſubtili moventur, tunc major eſt materiæ ſubtilis impulſus, quam dum corpora figuram Sphæricam habentia ab eadem materia ſubtili deorſum pelluntur, & tamen in corporibus Sphæricis major eſt motus acceleratio, celerius enim moventur,

moventur, quã corpora figuram latam & maximè extensam habentia, ut patet experiētiâ; ergo ubi est major materiæ subtilis impulsus, ibi non est major motus acceleratio. Prob. ant. Ibi major est materiæ subtilis impulsus, ubi est major materiæ subtilis impellentis copia: atqui major est copia materiæ subtilis impellentis corpora làtam & maximè extensam figuram habentia, quam corpora Sphærica; ergo ibi est major materiæ subtilis impulsus.



ARTICULUS XV.

De causa motus accelerati.

Contra Gassendum, Hypparchum, & Themistium.

Notandum est primo quod juxta Gassendi sententiam semper è terra exeunt aliqua hamata corpuscula quæ versus terram trahunt corpora quibus occurrunt, ita ut illa corpuscula sint causa motus deorsum, & sint etiam causa accelerationis ejusdem motus. In prima physicæ parte probabitur corpuscula illa hamata non posse causare motum deorsum, nunc vero contra Gassendum probabitur quod posito etiam, quòd illa corpuscula essent vera & propria causa motus deorsum, non possent tamen causare illius motus accelerationem.

Notandum est 2. Hypparchum docere,

quod motus acceleratio provenit ex debilitate virtutis moventis per violentiam. Quando enim lapis sursum projectus incipit deorsum cadere, parum remanet de virtute projicientis; unde eâ paulatim languescente, crescit motus contrarius, & velocior fit. Hæc Hypparchi sententia refertur à R. P. Vincentio, & à Bernerio meritissimo Gassendi discipulo lib. 2. de motu; cap. 3.

Notandum est 3. Quod Themistius hanc motus accelerationem adscribit sympathiæ & conformitati quæ inter locum & locatum reperitur. Ait enim ad textum 76. lib. 8. Phys. *Naturales motus quanto plus ab initio separantur, eo citatiores perniciore sque sunt: quia quæ secundum naturam moventur, quo propius accedunt ad calcem, eo junctiora sunt cognatis, & sibi salutaribus locis.*

Dicendum est 1. Contra Gassendum corpuscula hamata à terra exeuntia non posse causare accelerationem motus.

Prob. Vel illa corpuscula hamata haberent in se motum acceleratum, vel uniformem & æquabilem. 1. Non potest dici quòd motum habeant uniformem & æquabilem, quomodo enim possent in corporibus motum acceleratum causare, dum ipsa æquabili motu moverentur. 2. Non possunt habere motum acceleratum, quia quæretur à Gassendo quænam sit causa talis accelerationis quam certè non poterit assignare; ergo corpuscula hamata à terra exeuntia non possunt causare accelerationem motus. Sic hæc Gassendi sententia rejicitur à R. P. de Chales Societatis Jesu in suo tractatu de motu, lo-

cali, lib. 3. prop. 8.

Dicendum est 2. Contra Hypparchum motus accelerationem non provenire ex debilitate virtutis moventis per violentiam.

Prob. Hæc sententia non explicat accelerationem cujuslibet motus deorsum; ergo non est admittenda. Unde ait R. P. Vincentius lib. 3. de Elementis, q. 4. sect. 4. *Hæc sententia ad summum potest vera esse in casu illo particulari: sed si lapis sursum generetur; aut ibi longo tempore quiescat, & postea cadat, non valebit ista ratio, ut patet.* Bernerius vero lib. 2. de motu, cap. 3. Hypparchum arguit, quòd non satis universaliter locutus fuerit, cum ipsius sententia omnes non complectatur motus.

Dicendum est 3. Contra Themistium motus accelerationem non posse adscribi sympathiæ & conformitati quæ reperitur inter locum & locatum.

Prob. 1. Admissâ Themistii sententiâ duo corpora quæ in motu æqualiter distarent à terrâ, deberent æquali velocitate moveri, & æqualem lesionem causare sivè ex alto, sivè ex depresso loco caderent, quia quando existerent in æquali propinquitate ad terram, æqualiter illa attraheret terra: atqui illud non potest admitti; certum enim est, quod corpus ex alto loco descendens velocius in fine motus movetur, quam illud quod ex depresso loco decidit. Si enim duo sint corpora gravia; quorum unum ex summo altissimæ turris fastigio moveatur, & aliud ex quatuor aut quinque pedum altitudine descendat, quando illa duo corpora sunt in æquali pro-

pinquitate ad terram, tunc corpus ex altissima turri cadens velocius cadit, quam aliud, cum majorem ictum infligat, ut constat experientiâ; ergo non potest admitti Themistii sententia.



ARTICULUS XVI.

Utrum motus acceleratio proveniat tantum à minoris aëris resistentia, & veræ assignantur accelerationis causæ.

NOtandum est quod quidam Philosophi motus accelerationem in minorem medii resistentiam referunt, quia dum lapis propè terram existit, minus aëris ipsi subest, & consequenter minus ab eo retardatur, vel, ut Durandus ait, propè terram aër crassior est, & ideo minus levis; unde minus conatur ascendere, ac proinde non tantum resistit lapidi cadenti.

Dicendum est 1. Minorem aëris resistentiam non esse causam adæquatam accelerationis.

Prob. Eadem ferè ratione quâ refutata fuit Themistii sententia. Illa autem ratio sic refertur à Bernerio lib. 2. de motu, cap. 3. *Quando unus lapis*, inquit, *ex unius exapedæ altitudine cadat, attentè perpendatur, quanta sit illius lapidis velocitas. Idem postea lapis ex altitudine decem exapedarum moveatur,*

postquam novem exapedas percurrerit, attentè etiam inspiciatur velocitas quâ ultimam exapedam percurrit : certum est quod in illo ultimo casu major apparebit, majorque revera velocitas erit, quam in primo casu; Ergo rectè concludit ipse Philosophus, quod minor aëris resistentia non est adæquata accelerationis causa.

Dicendum est 2. Plurimas esse accelerationis causas.

Prima est minor medii resistentia, quæ in fine motus tanta non est propter triplicem rationem. 1. Quia minor est medii resistentis nempè aëris copia, ac proindè facilius scinditur. 2. Quia aër propè terram crassior est, cumque propter illam crassitiem minus idoneus est admotum sursum, & proinde minus resistit lapidi cadenti. 3. Quia magis commotus est aër; lapis enim deorsum cadens primam aeris partem movet, tum hæc prima aëris pars mota secundam movet, secunda tertiam : unde fit, ut quando lapis ad secundam & tertiam aëris partem pervenit, invenit illas jam motas in eandem partem scilicet deorsum, ac proinde minus sibi resistentes.

Secunda est commotio aëris subsequentis; dum enim lapis deorsum cadit, relinquit spatium, quod ante occupabat : & sic ad illud spatium occupandum, aëris vicinioris partes mox maxima celeritate convolant, ita ut lapidi cadenti maximè instent, ipsumque maximo impetu pellant, & deorsum protrudant, eo quidem fortius quo plures commotæ sunt.

Tertia causa, quæ præcipuè admotus ac-


celerationem concurrit, est impulsus, sive qualitas aliqua impulsiva, quam potentia motrix per motum determinata producit: cumque illa qualitas successivè intendatur, causat velociorem motum. Hoc confirmatur ex Saltantibus, qui, ut sibi majorem impulsum & impetum ad Saltum imprimant, antea paululum currunt. Hoc etiam patet in funda, quia quo magis rotatur, eo longius projicit lapidem; hoc autem aliunde provenire non potest, quam quia causa diutius applicata successivè intendit impetum.

Obj. 1. Sola aëris minor resistentia, est causa accelerationis; ergo non sunt plurimæ causæ. Prob. ant. Ubi non est medii resistentia, ibi non est acceleratio & motus inæqualitas; experientiâ enim comprobatum fuit in machina pneumatica corpora celerrimè moveri, & æquabiliter; ergo &c.

Resp. neg. ant. ad cujus probationem dico cum auctore Philosophiæ veteris & novæ, tract. 2. Phys. gen. diss. 2. cap. 3. conc. 2. quod *illud accuratiores observationes postulat, neque ut certum definiri potest.*

Obj. 2. Motus acceleratio non potest provenire à qualitate impulsivâ, quæ non potest dari; ergo provenit à solâ aëris minoris resistentia.

Resp. neg. ant. & ad probationem sit.





ARTICULUS XVII.

Vtrum detur aliqua virtus impulsiva, sive impetus.

Dicendum est dari virtutem impulsivam sive impetum.

Prob. Motus acceleratio non potest explicari, nisi per impetum; non enim potest explicari, neque per materiam subtilem Cartesii, neque per hamata corpuscula Gassendi, neque per sympathiam & conformitatem quæ reperitur inter locum & locatum, neque per gravitatem quæ cum semper remaneat eadem, ex eo quod sit incapax intensionis, non potest causare nisi motum æquabilem; ergo datur impetus ex cujus intensione augetur motus. Præterea corpora projecta non possunt moveri, nisi per illum impetum, ut infra probabitur; ergo &c.

Obj. 1. Sola gravitas potest causare motus accelerationem; ergo non est confugiendum ad impetum. Prob. ant. Gravitas intenditur & adaugetur; ergo potest causare motus accelerationem. Prob. ant. Tripliciter 1. Ex Aristotele qui textu 88. lib. 1. de cælo docet majorem celeritatem provenire ex incremento gravitatis. 2. Ex S. Thoma qui lib. 1. de cælo, lect. 17. in fine hæc habet, *Dicendum cum Aristotele, quòd causa hujus accidentis est, quod quanto corpus grave magis descendit,*

tanto-magis confortatur gravitas illius propter propinquitatem ad proprium locum. 3. Gravitas est qualitas; de ratione autem qualitatis est, ut intendatur & perficiatur, quia proprietas qualitatis est intendi & perfici, ut dictum fuit in Logica.

Resp. 1. dist. auct. Arist. & S. Tho. gravitas confortatur & intenditur, actualis conc. habitualis neg. Quia duplex est gravitas, scilicet habitualis & actualis. Gravitas habitualis est qualitas, quæ est veluti proprietas naturalis, & potentia corporis gravis. Et hæc gravitas non est capax intentionis; si enim gravitas intenderetur, corpus unius duntaxat libræ, duas vel tres libras ponderaret in motu, quod absurdum est. Gravitas actualis est ipse impetus qui facit, ut corpus actu moveatur, & illa gravitas intenditur. Ille autem impetus rectè vocatur gravitas, sicut gravitas aliquando dicitur impetus, ut notat P. Fabri; sunt enim ex ipso Philosopho tres veluti species impetus. Prima est species impetus naturalis innati. Secunda impetus naturalis acquisiti. Tertia violenti. Impetus innatus est qui simul cum corpore gravi producitur, & qui ab ipso nusquam separatur, & ipse impetus innatus est ipsa gravitas. Impetus naturalis acquisitus est qui innato accedit ad motus accelerationem, & qui non est in corpore gravi, eo enim caret, dum quiescit. Impetus violentus est qui in corpore projecto producitur. De illo infra agetur.

Resp. 2. ad tertiam argumenti partem & dist. illam propositionem de ratione solius qualitatis est, ut intendatur con. de ratione omnis

qualitatis est ut intendatur neg. Quia quando dicimus quòd proprietas qualitatis est, ut intendatur intelligimus quod sola qualitas potest intendi, non vero substantia, sed non intelligimus quòd omnis qualitas intendatur.

Obji. 2. Nulla potest assignari causa talis impetus; ergo non datur.

Resp. neg. ant. Quia ille impetus producitur à corpore gravi determinato per motum.

Inst. Si impetus produceretur à corpore gravi determinato per motum, motus præcederet impetum; & ita impetus esset causa & effectus motus, quod non potest dici; ergo impetus non producitur à corpore gravi determinato per motum.

Resp. dist. ant. Motus inchoatus præcederet impetum conc. motus continuatus præcederet impetum neg. Quia gravitas inchoat motum quo corpus grave determinatur ad producendum impetum qui motum continuat;& ita impetus est effectus motus inchoati, & est causa motus continuati.

Inst. Iterum atqui impetus non potest esse motus continuati causa; ergo nulla responsio. Prob. subs. Nulla causa potest dependere in suo esse à suo effectu, quia licet effectus importet essentialem dependentiam à causa, tamen causa non dicit dependentiam ab effectu; cessante enim effectu, causa remanet in suo esse, ut dicetur in tractatu de causis prima parte Physicæ: atqui si impetus esset causa motus continuati, causa dependeret à suo effectu: impetus scilicet dependeret à motu, quia cessante motu cessaret & impetus;

ergo impetus non potest esse causa motus continuati.

Resp. 1. Cum auctore Philosophiæ veteris & novæ dist. subs. impetus non potest esse motus continuati causa efficiens conc. non potest esse causa exigens motum neg. Quia ut ait ipse Philosophus impetus in hoc à cæteris qualitatibus differt, quod motum propriè non causet, sed exigat. Quare si nullus eum motus consequatur, statim impetus desinit, quia frustra esset sine effectu.

Resp. 2. neg. subs. ad cujus probationem dist. maj. causa quæ est qualitas permanens non dependet in suo esse à suo effectu conc. causa quæ est qualitas transiens neg. Quia in hoc differt qualitas permanens à qualitate transeunte, quod qualitas permanens, transacto etiam effectu, in suo esse perseverat, qualitas vero transiens pereunte effectu perit, ut pâtet in virtutibus quæ recipiuntur in causis instrumentalibus in quibus non remanent, nisi quamdiu producitur effectus.

Obj. 3. Si ille impetus esset qualitas, sequeretur regulas generales qualitatum, quæ non habent contrarium, cum ipse impetus non habeat contrarium: atqui ille impetus non sequitur regulas generales qualitatum, quæ non habent contrarium; ergo impetus non est qualitas. Prob. min. Regulæ generales qualitatum, quæ non habent contrarium sunt, ut totæ simul producantur in tota sua perfectione. Lux v. g. à sole tota in instanti producitur cum tota sua intensione, itaut post solis ortum intensior non sit ac in ipso solis ortu; atqui illa qualitas in primo instan-

ti in tota ſua perfectione non producitur, ſucceſſive enim intenditur ; ergo illa qualitas non ſequitur regulas generales qualitatum, quæ non habét contrarium, hoc argumentum proponit P. de Chales in ſuo tractatu de motu locali, propoſitione quinta.

Reſp. neg. min. ad cujus probationem neg. maj. Quia gratia eſt qualitas quæ non habet contrarium & tamen tota ſimul non producitur quantum ad intenſionem, ſed ſucceſſivè perficitur.



ARTICULUS XVIII.

Vtrum acceleratio fiat juxta progreſſionem Geometricam.

NOtandum eſt progreſſionem Geometricam eſſe illam quæ fit juxta hos numeros 1. 2. 4. 8. 16. 32. ſemper duplicando. Quidam autem volunt ut refert Merſennus accelerationem fieri juxta illam progreſſionem Geometricam ; ita ut Globus qui in primo inſtanti ſui deſcenſus unum ſpatii palmum confecit, ſecundo inſtanti conficiat duos ſpatii palmos, tertio quatuor, quarto octo & ſic ſemper duplicando.

Dicendum eſt accelerationem non fieri juxta progreſſionem Geometricam.

Prob. Accelerationem fieri juxta progreſſionem Geometricam eſt corpus grave in ſexto inſtanti ſui deſcenſus conficere 32. ſpatii

palmos,posito quod in primo instanti unicum spatii palmum confecerit. Hæc propositio patet ex dictis : atqui incredibile est quod corpus grave in sexto instanti sui descensus conficiat 32. spatii palmos,posito etiam quod in primo instanti unicum spatii palmum confecerit ; ergo incredibile est quod acceleratio fiat juxta progessionem Geometricam. Prob. min. Incredibile est quod tanta sit velocitas in corpore quod deorsum movetur,ut in sexto instanti sui motus 32.spatii palmos conficiat, quia nulla potest tantæ velocitatis causa assignari ; si enim esset aliqua causa , maximè impetus qui producitur in corpore mobili , ut jam probatum est : atqui ille impetus non potest esse causa tantæ velocitatis , quia incredibile est quod ille impetus in primo motus instanti productus , tantam intensionem & perfectionem habeat in sexto instanti , ut tantam possit causare velocitatem ; ergo tantæ velocitatis nulla potest assignari causa.



ARTICULUS XIX.

Vtrum acceleratio fiat juxta progressionem Arithmeticam simplicem.

Contra Honoratum Fabri.

NOtandum est progressionem Arithmeticam simplicem esse illam quæ fit juxta seriem naturalem numerorũ 1.2.3.4.5. ita

ita vult Honoratus Fabri quòd grave descendens quod primo instanti acquisivit unum velocitatis gradum, secundo instanti acquirat duos, tertio tres &c. tota Honorati hypothesis isto theoremate innititur *æqualibus temporibus æqualia acquiruntur velocitatis momenta.* Unde inquit si primo instanti sit unus velocitatis gradus, secundo sunt duo, tertio tres &c. & ita si corpus grave cum uno velocitatis gradu in primo instanti conficiat unius palmi spatium, in secundo cum duobus velocitatis gradibus debet duorum palmorum spatium percurrere.

Dicendum est contra Honoratum Fabri accelerationem non fieri juxta progressionem Arithmeticam simplicem.

Prob. Corpus grave quod primo instanti sui descensus conficit unius palmi spatium, debet secundo instanti trium palmorum spatium percurrere; ergo acceleratio non fit juxta progressionem Arithmeticam simplicem. Prob. ant. In secundo instanti est causa impellens triplo major & fortior quam in primo; ergo corpus grave quod primo instanti sui descensus conficit unius palmi spatium, secundo instanti debet trium palmorum spatium percurrere. Prob. ant. In primo instanti erat gravitas impellens cum impetu aliquo inchoato & imperfecto, (impetus enim non totus simul acquiritur, sed paulatim & successivè acquiritur;) in secundo vero instanti est eadem gravitas & alter impetus secundus qui acquiritur, & insuper est impetus integer & perfectus qui in primo instanti fuit acquisitus: atqui illa omnia quæ sunt in secundo

instanti faciunt virtutem triplo majorem; ergo in secundo instanti est virtus triplo major. Prob. min. gravitas corporis & impetus qui successivè acquiritur faciunt eandem virtutem & producunt eundem effectum in secundo instanti quem producebant in primo, sicut enim illa duo in primo instanti faciebant ut corpus unius palmi spatium peragraret, faciunt ut corpus secundo instanti idem spatium percurrat. Impetus vero qui sub initium secundi temporis est integer & perfectus & agit secundum totam suam virtutem, duplo plus potest in secundo instanti quam primo ut patet; ergo omnia quæ sunt in secundo instanti faciunt virtutem triplo majorem, & proinde debent facere quòd corpus quod primo instanti percurrit unius palmi spatium, secundo instanti trium palmorum spatium percurrat.

Ob. impetus qui primo instanti acquiritur, integer & perfectus comparatur, & proinde totâ suâ virtute agit, & ita facit ut corpus idem spatium percurrat in primo instanti quam in secundo; ergo bona est sententia honorati fabri.

Resp. dist. ant· primo instanti acquiritur impetus integer & perfectus si partes temporis indivisibiles accipiantur conc. si non accipiantur neg. quia ut inquit auctor Philosophiæ veteris & novæ tract. 2. Phys. gen. dist. 2. cap. 4. *fatendum est utramque sententiam scilicet Fabri & Galilæi, circa proportionem qua gravia suum motum accelerant, facile conciliari posse. Quod si enim temporis partes indivisibiles accipiamus; tum sane secundum simplicem*

& naturalem numerorum progressionem fiet descensus gravium acceleratio: nam unoquoque momento unus gradus velocitatis, isque integer acquiritur. At si partes temporis sensibiles sumantur, tum ex dictis palam est fore ut pernumeros impares fiat acceleratio.



ARTICULUS XX.

Vtrum acceleratio fiat juxta progressionem numerorum pariter imparium.

Juxta Galilæi Sententiam.

NOtandum est numeros pariter impares esse illos qui continuè crescunt ab unitate ut 1. 3. 5. 7. 9. 11. 13. Accelerationem ergo fieri juxta progressionem numerorum pariter imparium, nihil aliud est quam si corpus grave inter descendendum primo sui descensus instanti unum palmum confecerit, secundo debet conficere tres, tertio quinque, quarto septem, ita semper progrediendo: adeo ut spatia à corpore descendente decursa sint inter se ut quadrata temporum, quod ut melius intelligatur.

Notandum est 2. Numerum, dum per seipsum multiplicatur, efficere alium numerum, quem prioris numeri quadratum appellant. Sic duo in se multiplicata efficiunt quatuor, tria in se ducta novem. Itaque

quaternarius erit quadratum binarii ; ut novenarius ternarii ; binarius vero eſt latus aut radix quaternarii , ternarius eſt radix novenarii.

Notandum eſt 3. Quod quando diximus in primo notatu quòd ſpatia à corpore gravi decurſa ſe habere ut quadrata temporum, intelligimus quod quadrata temporum nobis ſpatia decurſa denotant. Si vis ſcire quot palmos confecerit corpus deſcendens in aliquo minuto v. g. in ſecundo , in tertio , in quarto , mox quadrata temporum tibi dabunt ſpatia decurſa, ſiquidem per ſeipſum multiplicandum eſt minutum præſcriptum. Si vis ſcire v. g. quot palmos confecerit corpus ſecundo minuto , multiplica per ſeipſum numerum binarium , & ſicut duo in ſe ducta faciunt quatuor, inde cognoſcis quod ſecundo minuto corpus confecit quatuor palmos. Similiter cognoſces quod tertio minuto confecit novem , quarto ſexdecim , quinto viginti quinque &c.

Dicendum eſt accelerationem fieri juxta progreſſionem numerorum pariter imparium.

Prob. 1. Experientia facta à Galilæo & à plurimis aliis verſatiſſimis , tum in rebus Philoſophicis , tum in rebus Mathematicis. Experimento ergo comprobatum fuit quod intra minutum ſecundum (ſic vocant ſexageſimam partem unius minuti primi , ſeu ſexageſimæ partis unius horæ) corpus grave in libero aëre 12. Pedes ſpatii motu naturali deorſum percurrere ; intra vero duo minuta ſecunda 48. Pedes , contra tria minuta ſecunda 108. Sed ſpatia iſta ſunt ut quadrata temporum , ut conſtat. Conſequenter ac-

celeratio fit juxta progressionem numerorum pariter imparium.

Prob. 2. Alterâ experientiâ ab eodem Galilæo facta qui adhibuit tubum vitreum & prælongum, eumque in partes divisum : huic non ad perpendiculum erecto, sed multum inclinato globulum imposuere, ut lentior esset descensus, & facilius observari posset. Comprobatum ergo fuit quòd globulus qui primo temporis intervallo v. g. intra arteriæ pulsum, unam tubi partem decurrerit, secundo tempore tres partes, tertio quinque, ergo constat illaexperientia accellerationem fieri juxta progressionem numerorum pariter imperium. Prǽterea potest eadem conclusio probari eadem ratione quà refutata fuit sententia honorati fabri.

Prob. 3. Ratione allata à R. P. de Chales in suo tractatu de motu locali lib. 3. prop. 13. & ab auctore Philosophiæ veteris & novæ his verbis loco jam citato. *Hinc ratio ducitur cur per numeros impares gravium motus acceleretur : quod non simul sed paulatim certus velocitatis gradus acquiratur. Nam supponamus corpus grave primo temporis spatio, putà intra arteriæ pulsum, unam exapedam confecisse. Quod si ab initio eam habuisset velocitatem aut impetum, eodem tempore duplo velocius descendisset & duas exapedas peragrasset...... Sub initium itaque secundi temporis jam corpus grave habet unum velocitatis gradum acquisitum & integrum : quo quidem duplum spatium ejus quod paulatim peragraverat, eodem tempore decurrit. Sed interim per suam gravitatem paulatim eum acquirit impetum quo unam exape-*

dum conficit : *utroque ergo impetu* ; *innato scilicet & acquisito triplum spatium seu* 3. *Exapedas conficiet* ; ergo &c.



ARTICULUS XXI.

Vtrum accelerationi sint aliqui præstituti fines & descensus fiat tandem æquabilis.

NOtandum est quod ex dictis constat gravia inter descendendum accelerare suum motum, nunc vero quæritur an gravia ex quacumque altitudine cadentia semper & indesinenter suum motum accelerent donec ad suum pervenerint terminum ; ita ut accelerationi sint nulli præstituti fines, & velocitas corporis cadentis in infinitum augeatur.

Dicendum est accelerationi esse aliquos præstitutos fines, & descensum fieri tandem æquabilem.

Prob. experientià. Si ex præcelsæ turris cacumine sagittæ intento arcu vibretur aut glans plumbea per catapultam displodatur minus ferient quàm si cominus essent emissa; ergo illorum corporum cadentium velocitas non semper augetur.

Prob. 2. Ratione. Tunc acceleratio non augetur, quando est aliqua causa remittens & obtundens impetum corporis cadentis;

atqui ſemper & in quocumque motu eſt aliqua cauſa remittens & obtundens impetum corporis cadentis, nempè aëris reſiſtentia: nam pulſus aër motui adeo præcipiti reſiſtit, & non patitur tanta velocitate agitari & in orbem recurrere. Motus ergo corporis cadentis paulatim ab aëris reſiſtentia retunditur, donec vim ipſius gravitatis exæquet, hoc eſt dum eadem celeritate moveatur, ac ſi ex eadem altitudine decidiſſet: tunc enim fit æquilibrium inter vim gravitatis & reſiſtentiam aëris.

Ob. 1. Non poteſt definiri quandonam incipiat motus æquabilitas; ergo non ſit æquabilis.

Reſp. 1. Quod difficillimum quidem eſt certo definire quandonam incipiat motus æquabilitas, ſed tamen non inde poteſt concludi quod non detur talis motus æquabilitas.

Reſp. 2. Cum auctore Philoſophiæ veteris & novæ tract. 2. Phyſ. gen. diſſ. 2. cap. 4. quod forte ſit æquabilitas poſt 300. Aut circiter altitudinis pedes.

Ob. 2. Semper in corpore gravi producitur novus impetus à gravitate; ergo debet ſemper produci nova acceleratio.

Reſp. diſt. conſ. debet ſemper produci nova acceleratio ſi nullum ſit impedimentum con. ſi ſit aliquod impedimentum neg. quia ut ait auctor Phil. veteris & novæ loco jam citato *cum corpus grave deſcendit, novus quidem impetus ex ipſa gravitate continenter acquiritur: ſic ſimul augetur medii reſiſtentia, quæ ubi novum eum impetum æquabit, tum*

motus augeri non poterit, sed æquabilis permanebit; novi quidem velut ictus, aut percussiones grave deorsum pellunt: sed simul augetur aëris resistentia, quæ divisionem tam subitam inhibet.



ARTICULUS XXII.

Utrum graviora velociùs cadant, quam minus gravia.

Contra Galilæum, Gassendum & alios recentiores.

NOtandum est. 1. Unum posse esse gravius alio duobus modis scilicet in specie & in individuo. Unum dicitur gravius alio in specie, quando illi præponderat in æquali mole. Ita dicimus aurum esse gravius argento, quia una moles auri æquali moli argenti præponderat. Unum vero dicitur gravius alio in individuo, quando illi præponderat nulla habita ratione molis. Ita globus plumbeus decem librarum gravior est in individuo globo plumbeo unius libræ.

Notandum est. 2. Quod Galilæus, Gassendus. Arriaga & Pontius docent corpora in gravitate inæqualia descendere tamen æquali tempore, ita ut si pondus unius libræ eodem tempore demittatur ex altissima turri simul cum pondere centum librarum eodem tempore utrumque pondus ad terram perveniat,

Dicendum contra Galilæum, Gaſſendum &c. graviora velocius cadere, quam minus gravia.

Prop. plurimus rationibus. 1. Corpus centum librarum in bilance poſitum velocius lancem unam deprimit, quam corpus unius libræ. 2. Ubi eſt majus velocitatis principium, ibi eſt major velocitas: ſed ubi eſt gravitas major, ibi eſt majus velocitatis principium: ergo &c. 3. Ex Vincentio noſtro meritiſſimo dum ſagitta v. g. aut aliud ſimile vibratur ſurſum ad perpendiculum ſeu directe, aut fere directe ſupra caput, quando expleto motu violento deorſum motu naturali recidit, pars ejus gravior & ferro armata, quæ aſcendendo remotior erat à terra quam levior, cadendo prævolat & prius terram attingit. Cujus certe non alia videtur eſſe ratio, niſi quia major gravitas in illa parte exiſtens velociorem imprimit motum & impulſum. Quod ſi hoc in eodem corpore continuo evenit ratione diverſarum partium inæquali gravitate conſtantium, potiori jure in corporibus inæqualiter gravibus contingere credendum eſt. 4. Directe contra Pontium & Arriagam ex quorum opinione ſequeretur corpus parvum velocius ferri deorſum, quam corpus magnum ejuſdem ſpeciei: atqui illud eſt abſurdum; ergo &c.

Prob. ſeq. maj. ex ipſis Philoſophis gravitas non diſtinguitur à ſubſtantia rei, & nihil aliud eſt quam virtus producendi motum & impulſum; ergo cum forma ſubſtantialis productiva talis motus, ſit ejuſdem ſpeciei in magno & parvo corpore, facilius

movebit parvum quam magnum, cum hic cætera omnia sint paria, & ita parvum corpus velocius movebitur.

Ob. 1. Sæpè à Galilæo, Gassendo, Arriaga, aliisque Philosophis comprobatum fuit corpora in gravitate inæqualia moveri æqualiter; ergo &c.

Resp. Vincentium nostrum meritissimum contrarium expertum fuisse, ut ipse fatetur lib. 3. de Elementis quæst. 4. sect. 3. num. 83. *Contrarium* inquit *sum expertus in duobus globulis ejusdem magnitudinis & figuræ rotundæ, altero ex cera, altero ex plumbo. Ne autem aliquis subesset error in eis demittendis, tenue filum trajeci per medium perforatum, & aptatis in medio fili forficibus, atque utroque globulo ita suspenso, & in æquilibrio, æqualique distantia à terra posito, coram multis & occulatissimis testibus abscißo forficibus filo, deprehensum est ab omnibus bis & tertio globulum plumbeum velocius ferri, & citius ad terram pervenisse: adeo ut etiam è mediocriter alto loco cadens, nimirum à viginti quinque pedibus, in ipso medio casu sensibiliter alterum globulum præcederet.* Idem expertus est in duobus ejusdem naturæ globulis scilicet plumbeis.

Ob. 2. Cubus minor majori demisso impositus ab eo non separatur; ergo tam celeriter descendit quam major.

Resp. conc. ant. dist. conf. cubus minor tam celeriter descendit quam major quando faciunt unum totum conc. quando seorsim descendunt neg. ratio patet ex dictis.



ARTICULUS XXIII.

De motu projectorum.

NOtandum est, impulsum esse virtutem aliquam activam, incompletam, fluentem, & transeuntem, per se ordinatam ad efficiendum motum localem. Quæritur ergò an projecta moveantur per hujusmodi impulsum; illud negant aliqui affirmantes causam adæquatam motus projectorum esse medium in quo deferuntur, sive sit aër, sive sit aqua; adeò ut projiciens v. g. moveat primam partem aëris, hæc secundam, ista tertiam, donec illa quæ proximè corpus tangit accepto motu à prioribus illud corpus moveat vel sursum, vel deorsum, vel ad aliam loci differentiam.

Dicendum est, corpora projecta non moveri à medio, sed per impulsum à projiciente impressum.

Prob. si sagitta v. g. medio aëre moveretur, certum est quòd aër multò faciliùs moveret sagittam transversam quàm directam, quia in illo situ multus esset aër illam propellens, in alio verò situ paucissimus: contrarium tamen contingit, quia sagitta tranversa si in multum aërem impingatur, impeditur multum; si verò directa projiciatur, facilè superat minimam quantitatem aëris qui sese ei opponit; ergo certum est

illâ experientiâ projecta non moveri à medio, sed per impulsum à projiciente impressum. Præterea quando navis remorum vi contra fluxum fluminis & venti flatum impellitur, & cessantibus remis adhuc movetur, talis motus procedit ab impulsu remorum; non autem ab aqua & aëre, cum potius ab illis retardetur; ergò datur aliqua qualitas distincta realiter à motu, quæ qualitas recipitur in corpore projecto non verò in medio, quia si virtus medio tantum imprimeretur, sequeretur quòd longius & velocius moverentur plumæ projectæ quàm lapides: atqui illud est contra experientiam; ergo virtus medio non imprimitur. Prob. sequela maj. plumæ minus resisterent aëri moventi; ergo longius & velocius moverentur quàm lapides. Si verò quærat aliquis cur lapis longius & velocius moveatur quam pluma, ratio est quia cum lapis habeat multò plures partes quam pluma, aptior est ad recipiendum & conservandum in se majorem impulsum.

Obji. 1. S. Tho. 3. de cœlo. lect. 7. docet non esse dicendum, quòd *virtus motrix imprimat lapidi in motu violento aliquam virtutem per quam moveatur*; ergò ex mente D. Tho. projecta non moventur per impulsum à projiciente impressum.

Resp. dist. aut. D. Tho. non est dicendum, quòd virtus motrix imprimat lapidi in motu violento aliquam virtutem per modum permanentis conc. per modum transeuntis neg. quia ibi S. Tho. tantum docet discrimen quòd est inter virtutem quâ lapis movetur naturali

naturali, & virtutem quâ lapis movetur motu violento; siquidem virtus quâ lapis movetur motu naturali, est qualitas permanens quæ dicitur gravitas; virtus autem quâ lapis movetur motu violento est virtus transiens.

Obji. 2. Rota in axe suspensa, similiter campana pendula, quando illa duo impelluntur, moventur motu locali: atqui non moventur per impulsum ab impellente impressum; ergo moventur à medio. Prob. min. Impulsus ab impellente impressus movet tantum in unam partem: atqui rota & campana sibi relictæ abscisso fune v. g. moventur in utramque partem. Ergo non moventur per impulsum ab impellente impressum.

Resp. neg. min. ad cujus prob. dist. min. Rota & campana moventur in utramque partem per accidens conc. per se neg. Quia impulsus ab impellente impressus movet quidem campanam in unam partem determinatam, sed obsistente illius gravitate, ne altius & diutius moveatur in illam partem, talis impulsus movet illam in aliam partem, & ex istâ in alteram, donec omninò desinat esse defectu causæ conservatricis.

Obji. 3. & ultimò. Si projecta moverentur per virtutem impressam, illorum motus esset velocior in principio quàm in medio decursus, quia cum talis impulsus continuò debilitetur propter continuam medii resistentiam, fortior debet esse in principio quàm in medio: atqui falsum est, quòd projecta moveantur velocius in principio quàm in medio; ergo falsum est etiam quòd projecta moveantur per virtutem à projiciente impressam.

Prob. min. Major effectus arguit majorem virtutem causæ; ergo projecta velocius moventur in medio, si gravius percutiant aliquod corpus obvium; major enim percussio arguit majorem percutientis velocitatem: atqui constat experientiâ, quòd lapis manu vel fundâ projectus gravius percutit in medio decursu, quàm in principio motus; ergo projecta velocius moventur in medio quàm in principio.

Resp. neg. min. ad cujus prob. dist. min. Lapis gravius percutit in medio decursu quàm in principio motùs per accidens conc. per se neg. Quia major effectus non semper arguit majorem virtutem causæ; siquidem multæ possunt concurrere circunstantiæ extrinsecæ propter quas major effectus producitur à causâ debiliori vel æquali; aër v. g. producit calorem in terrâ & in parietibus, & tamen in terra & in parietibus major est calor, quam in aëre, quia solus aëris calor non est sola causa quæ producit calorem in terrâ & parietibus; densitas enim & siccitas terræ & lapidum maximè concurrunt ad augendum illum calorem. Similiter metalla producuntur in terra, & tamen major est gravitas in metallis quam in terrâ, quia si naturales metallorum qualitates non concurrant ad productionem propriæ gravitatis, faciunt tamen quòd illa propria gravitas sit major quàm gravitas terræ. Plurimæ aliæ sunt experientiæ; objectum enim visibile v. g. fortiorem producit speciem in visu sibi ferè conjuncto quàm in aliquâ distantiâ constituto, & tamen non ita claram sui visionem efficit, dum pro-

pinquius est. Contingit etiam quòd duæ rotæ concentricæ si in eodem axe & ab eodem motore rotentur, major velocius movetur; nam æquali tempore majus percurrit spatium, & tamen non est tanta vis in rota majori, quàm in rota minori, quæ propinquior est moventi & axi per quem propagatur vis impulsiva. Ratio autem hujus majoris percussionis factæ à lapide projecto est, quia ad majorem illum effectum requiritur aliqua distantia tanquam conditio sine qua non.

Resp. 2. Quod aliqui absolutè negant quod lapis gravius percutiat in medio decursu quam in principio: *quare*, inquit auctor Philosophiæ veteris & novæ tract. 2. Phys. gen. diss. 2. cap. 4. *falsum est majores ictus à clopetis aut balistis imprimi in mediocri distantia quam in minori.*



ARTICULUS XXIV.

De motu reflexo.

Notandum est 1. Quòd motus directus est ille qui fit per lineam rectam à projiciente ad terminum ad quem: motus vero reflexus est ille quo corpus projectum reflectitur à termino ad quem vibratum fuit & redit ad ipsum projicientem; ut quando pila ad parietem projecta reflectitur. Quæritur nunc quænam sit causa illius motus reflexi.

Notandum est 2. Circa hanc difficulta-

rem quatuor esse varias opiniones. Prima est illorum qui dicunt causam ipsius motus reflexi esse ipsum corpus reflectens. Secunda est illorum qui docent causam ipsius motus esse ipsum corpus reflexum, dum se per virtutem elasticam restituit. Tertia est illorum qui asserunt causam motus reflexi esse aërem inter mobile & corpus reflectens interceptum. Quarta est illorum qui putant quod causa productiva motus reflexi eadem est, quæ motus directi nempe aliqua qualitas à projiciente impressa. Tres priores sententias ibi refutabimus, & sic quarta, quæ nostra est, probata superesit.

Dicendum est 1. Causam motus reflexi non esse corpus reflectens.

Prob. Corpus à quo fit reflexio, non potest impulsum imprimere, nisi prius ipsum moveatur, quia quidquid movet aliud immediate, debet ipsum moveri: atqui quando pila reflectitur à pariete, paries non movetur; ergo &c. Præterea quamvis paries moveretur, ut volunt aliqui, non posset tamen tantum impulsum imprimere & non posset corpus reflectendum impellere versus illam partem ad quam reflectitur. Supponamus v. g. projici Globum ferreum contra validissimam rupem; constat experientiâ quod ad magnam distantiam reflectetur ipse Globus magna vi magnoque impetu projectus: atqui tunc ista Globi ferrei reflexio ad tantam distantiam facta non potest provenire ab illa rupe validissima quæ non posset tantum impetum imprimere illi Globo, nisi aliquandiù illum comitaretur, quod est contra omnem veri ap-

parentiam ; ergo &c.

Dicendum est 2. Corpus reflexum non esse causam motus reflexi, dum se per virtutem elasticam restituit.

Prob. Si vis elastica per quam corpus se restituit, esset causa motus reflexi, quoties exerceretur vis elastica in aliquo corpore, toties corpus deberet reflecti & maximo impetu à pariete recedere : quia posita causa non impedita ad agendum, debet poni effectus : atqui hoc non ita contingit ; quando enim pila manu premitur ad parietem, tunc pilæ partes comprimuntur, qua compressione cessante, mox exercetur virtus elastica in pila per quam pila conatur se in pristinum statum restituere, & tamen tunc (ut constat experientia) pila non reflectitur ; ergo vis elastica per quam corpus se restituit non est causa motus reflexi.

Dicendum est 3. Aërem inter mobile & corpus reflectens interceptum, non esse causam motus reflexi.

Prob. Non potest concipi quod aër inter mobile & corpus reflexum interceptus, possit tantum causare impetum, cum sit in minima quantitate ut patet ; ergo &c.

Dicendum est 4. Qualitatem à projiciente impressam esse causam motus reflexi.

Prob. 1. Quando corpus projectum attingit illud à quo resilit, nondum periit qualitas à projiciente impressa ; continuaret enim motum per eandem lineam ; si nullum obsisteret corpus. Cum ergo illa qualitas sit ad omnem motum indifferens, & non impleverit cursum per lineam directam, oportet ut

per reflexam absolvat.

Prob. 2. Corpora projecta eo fortius reflectuntur, quo fortius impelluntur à projiciente; ergo signum est quod impulsus impressus à projiciente est causa talis reflexionis.



ARTICULUS XXV.

An detur quies in puncto reflexionis.

Notandum est, quod cum jam egerimus de causa reflexionis, nunc verò quæritur, an detur quies in puncto reflexionis, hoc est, an quando aliquod corpus grave sursum movetur, vel contra aliud corpus projicitur, quiescat aliquantulum, priusquam resiliat & reflectatur.

Dicendum est, dari quietem in puncto reflexionis.

Prob. 1. Quando lapis sursum projectus nulli occurrit corpori ideò reflectitur & deorsum movetur, quia gravitas illius corporis vincit impulsum quo corpus sursum movebatur: atqui gravitas non potest vincere illum impulsum in instanti; ergo corpus grave per aliquod instans quiescit, priusquam resiliat. Prob. min. Si gravitas vinceret impulsum in instanti, daretur actio æqualis in æquale: atqui non potest dari actio æqualis in æquale; ergo gravitas non potest vincere impulsum in instanti. Prob. maj. In illo

instanti in quo lapis non poteſt magis ſurſum moveri ob ſuam gravitatem, nec deorſum reflecti ob virtutem impreſſam, tunc gravitas & vis impulſiva ſunt æquales; ergo ſi gravitas vinceret impulſum in inſtanti daretur actio æqualis in æquale; proindè neceſſariò in tali inſtanti debet illud corpus quieſcere, ut per talem quietem minuatur impulſus & à gravitate vincatur.

Prob. 2. Quando pila projicitur verſus parietem, quia nec pila, nec paries ſunt corpora perfectè plana, nec rotunda, tangunt ſe immediatè ſecundum diverſas partes; ergo pila non poteſt ſeparari à pariete ſecundum omnes illas partes; alioquin cum aër non moveatur in inſtanti, nec poſſit etiam in inſtanti ad medium pervenire, daretur vacuum in tali puncto; ergo neceſſe eſt, ut pila ſeparetur à pariete ſecundum aliquas ſui partes, & eidem inhæreat ſecundum alias partes: atqui pilam inhærere parieti ſecundum aliquas ſui partes eſt dari quietem in puncto reflexionis; ergo neceſſariò datur quies in puncto reflexionis.

Objı. Si pila ad parietem projecta debeat quieſcere in puncto reflexionis, quia non poteſt tota ſimul ſecundum omnes partes ab illo ſeparari, ſequeretur, quòd nunquam illa pila projecta poſſet ſeparari ab illo pariete: atqui illud eſt abſurdum; ergo & aliud. Prob. ſequela maj. Nulla eſt pars tam minima quæ non ſit diviſibilis in alias partes; ergo ne detur vacuum in medio illarum partium, neceſſe eſt ut una pars ſeparetur poſt aliam, & cum illæ partes ſunt infinitæ, nuſ-

quam poterunt separari ab illo pariete.

Resp. neg. sequelam maj. ad cujus prob. Dico quòd illa pila separatur à corpore secundum aliquam partem minimam aliquotam à Deo designabilem.



ARTICULUS ULTIMUS.

De motu refractorum & pendulorum.

NOtandum est, quòd motus reflexionis & refractionis distinguntur; nomine enim reflexionis intelligimus solum reditum sive mutationem determinationis quæ contingit corpori quod movetur ad occursum alterius corporis quod non potest penetrari. Nomine verò refractionis intelligimus mutationem determinationis quæ contingit corpori quando transit ab uno medio ad aliud, quod ipsum magis vel minus facilè admittit. Quæritur ergo quænam sit causa refractionis.

Dicendum est, motum refractionis provenire à tribus causis, scilicet à projiciente, à figurâ corporis projecti, & à diversitate medii.

Prob. Quando lapis projicitur in aquam, nec pergit in suo motu secundum eandem lineam per quam dirigebatur in aëre, tunc fit refractio: atqui talis refractio provenit à projiciente, quia lapis qui transit per aquam facit sibi talem transitum per virtutem ipsi im-

pressam à projiciente ; ergo refractio provenit à projiciente ; provenit etiam à figurâ corporis projecti ; siquidem quando projicitur lapis valdè latus in aquam , tunc non fit refractio ; si verò projiciatur lapis rotundus , tunc fit refractio quæ provenit à rotunditate ipsius lapidis , quæ refractio provenit à figurâ corporis projecti , provenit etiam à diversitate medii ; lapis enim non refringitur in aëre solùm, si ab aëre descendat in aquam ; tamen licet diversitas medii sit causa refractionis , non semper fit refractio, quando unum corpus transit ab uno medio ad aliud , quia ut diversitas medii sit causa refractionis , necesse est , ut corpus projectum cadat obliquè supra superficiem quæ separat utrumque medium , ut illud corpus projectum cogatur à lineâ recta deflectere.

Quantum autem ad motum pendulorum , certum est , quod quando v. g. aliquod corpus pendulum educitur à perpendiculo , sibi postea permittitur , mox deorsum movetur , non quidem rectâ viâ, quia prohibetur à fune retinente , cum autem inferius non possit continuare suum motum , transit ultra lineam perpendicularem per frequentes transitus & reditus , donec tandem quiescat. Constat autem quòd talis motus illius corporis penduli provenit à gravitate ipsius corporis.




TRACTATUS SECUNDUS.

De quibusdam entibus in particulari.



OGNITO ente in communi, nunc progredimur ad cognitionem plurimorum entium in particulari.



QUÆSTIO I.

De ente possibili.

UNICUS erit Articulus in ista Quæstione, in quo quæretur, utrum ens possibile sit aliquid reale ab æterno extra Deum.



ARTICULUS UNICUS.

Vtrum ens possibile sit aliquid reale ab æterno extra Deum.

NOtandum est, hanc difficultatem diversis modis exprimi; quærunt enim aliqui utrum essentiæ rerum fuerint positivè ab æterno; alii verò quærunt utrum ens possibile sit aliquid reale extra Deum, & circa illam difficultatem docent Scotistæ, quòd essentiæ cujuscumque rei creatæ acceperunt ab æterno à Deo per actum sui intellectus illas cognoscentis aliquod esse reale & positivum, sive aliquam existentiam imperfectam & diminutam, ratione cujus existentiæ essentiæ fiebant præsentes intellectui divino: sed contra Scotistas.

Dicendum est essentias rerum non habuisse ab æterno in se intrinsecè & extra Deum aliquod esse reale & positivum.

Prob. Essentiæ rerum omnium in particulari creantur à Deo in tempore (juxta illud Geneseos 1.) *In principio creavit Deus cælum & terram:* Atqui si essentiæ rerum haberent aliquod esse reale positivum ab æterno extrá Deum, non posset dici quòd Deus crearet omnia in tempore; ergo essentiæ rerum omnium in particulari non habuerunt esse reale & positivum ab æterno extra Deum. Prob. min. Quod producitur à Deo

per creationem, nullum debet habere esse ab æterno, quia creatio est productio totius ex nihilo: atqui essentiæ rerum creantur in tempore; ergo non habent aliquod esse reale & positivum ab æterno extra Deum.

Obj. 1. Essentiæ rerum priusquam haberent esse, habebant non repugnantiam ad essendum: atqui essentias rerum habere non repugnantiam ad essendum est habere aliquod esse; ergo essentiæ rerum priusquam essent habuerunt aliquod esse.

Resp. dist. min. Essentias rerum habere non repugnantiam ad essendum est habere aliquod esse negativum conc. positivum neg. Quia habere esse per non repugnantiam, est tantùm habere esse negativum, quod nihil aliud est quam potentia effectiva ipsius, sive (ut loquitur S. Tho.) *Essentia creatrix*; aliquid enim dicitur possibile propter potentiam activam.


Obji. 2. Intellectio quâ Deus ab æterno cognovit essentias rerum omnium, est realis; ergo essentiæ debent habere ab æterno aliquod esse reale & positivum. Prob. conseq. intellectio realis debet determinari per aliquid reale & positivum; ergo cum intellectio quâ Deus cognovit ab æterno essentias rerum omnium fuerit realis, essentiæ debuerunt habere ab æterno aliquod esse reale & positivum extra Deum.

Resp. neg. conseq. & ant. Quia si terminus intellectionis realis esset semper aliquid reale, sequeretur quòd ens rationis quod terminat intellectionem, esset aliquod reale.

Obji. ultimò. Essentia hominis habet ab

ab æterno; nam ista propositio *homo est animal rationale*, est æternæ veritatis; ergo essentia hominis habet ab æterno aliquod esse reale & positivum.

Resp. dist. ant. Essentia hominis habet ab æterno veritatem negativam conc. positivam neg. Quia eo modo habet veritatem quo habet entitatem: habet autem entitatem negativam, sive per non repugnantiam; & ita illa propositio est æternæ veritatis negativæ, quatenus non est repugnantia inter prædicatum & subjectum.



QUÆSTIO II.

De ente existente.

UT melius cognoscatur existentia, quæretur primò quid sit essentia, & quomodo essentia distinguatur ab existentia. Ideo sit.



ARTICULUS I.

De essentiâ & existentiâ, & de causâ efficiente existentiæ.

DIcendum est 1. Essentiam definiri ab Arist. *Illud quod per se primò de re dicitur & concipitur.*

Prob. & explicatur talis definitio. Essentia

cujuslibet rei est principium radicale à quo emanant proprietates & operationes, ad illam etiam nihil præsupponitur, & est illud quod primariò concipitur in re; ergo essentia est illud quod per se primò de re dicitur & concipitur.

Dicendum est 2. Duplicem esse essentiam, Metaphysicam scilicet & Physicam. Essentia Metaphysica est composita ex genere & differentia. Essentia Physica verò est composita ex materia & forma.

Dicendum est 3. Existentiam definiri ultimum actum quo essentia ultimò & completè ponitur extra nihil, & constituitur in se ipsâ & in rerum naturâ.

Prob. & explicatur talis definitio. Res quælibet habet duplicem statum, sive duplicem modum essendi. Primò dicitur esse in statu possibili, quando in suis causis, sive in potentia suarum causarum continetur, ut Rosa in Roseto tempore hyemali dicitur esse in potentiâ, quia continetur in virtute Roseti à quo produci potest. Secundò dicitur esse in statu actuali quando est extra suas causas; res autem quælibet transfertur inchoativè & incompletè per seipsam à primo statu ad secundum, ultimò & completè per existentiam; ergo existentia rectè definitur ultimus actus quo essentia ponitur extra nihil & extra causas, & constituitur in rerum naturâ.

Dicendum est ultimò. Deum esse causam principalem efficientem cujuscumque existentiæ, causam verò secundam esse causam instrumentalem existentiæ.

Prob. prima pars. Effectus universalissi-

mus; debet produci à cauſâ univerſaliſſimâ: atqui exiſtentia eſt effectus univerſaliſſimus; ergo debet produci à cauſâ univerſaliſſimâ, nempè Deo. Prob. min. Ille effectus eſt univerſaliſſimus qui reperitur in omnibus, ſive ſint ſubſtantiæ, ſive ſint accidentia: atqui eſſe ſive exiſtentia reperitur in omnibus; (quælibet enim res eſt ens;) ergo eſſe eſt effectus univerſaliſſimus.

Prob. ſecunda pars. Illa cauſa eſt inſtrumentalis quæ non agit propriâ virtute, ſed recipit virtutem à Deo per quam fit ſufficiens ut poſſit producere exiſtentiam: atqui cauſa ſecunda recipit virtute quâ fit ſufficiens ut poſſit producere exiſtentiam, cauſa enim particularis non eſt de ſe ſufficiens ad producendum effectum univerſalem; ergo cauſa ſecunda eſt cauſa inſtrumentalis exiſtentiæ, cauſa vero prima eſt cauſa principalis. Illud docet Sanct. Thom. 1. p. q. 45. art. 5. *Oportet*, inquit, *univerſaliores effectus in univerſaliores & priores cauſas refundere, inter autem effectus univerſaliſſimos eſt ipſum eſſe, unde oportet quod ſit effectus primæ & univerſaliſſimæ cauſæ quæ eſt Deus.*



ARTICULUS II.

Vtrum exiſtentia creata diſtinguatur realiter ab eſſentia.

NOtandum eſt. Circa hanc difficultatem triplicem eſſe opinionem. Prima eſt quorumdam qui docent, exiſtentiam diſtin-

qui ab essentiâ solùm distinctione rationis ratiocinatæ. Secunda est Scotistarum qui docent existentiam distingui ab essentiâ distinctione formali ex naturâ rei. Divus verò Thom. docet, existentiam distingui realiter ab essentiâ. Quare

Dicendum est cum S. Tho. essentiam creatam distingui realiter ab existentiâ.

Prob. Si in creaturis existentia non distingueretur realiter ab essentiâ, sequeretur quòd creaturæ existerent per essentiam: atqui creaturæ non existunt per essentiam; ergo existentia distinguitur realiter ab essentiâ. Prob. sequela maj. Ideò Deus existit per essentiam, quia in Deo existentia non distinguitur ab essentiâ; ergo si in creatis existentia non distingueretur ab essentiâ, sequeretur quòd creaturæ existerent per essentiam. Præterea illa distinguntur realiter quæ separantur realiter: atqui existentia & essentia separantur realiter; siquidem in Mysterio sanctissimæ Incarnationis existentia separata fuit ab humanitate Christi; ergo existentia & essentia distinguntur realiter.

Obji. 1. Si existentia distingueretur realiter ab essentiâ, sequeretur, quòd existentia deberet recipi in essentia tanquam actus in potentia: atqui existentia non potest recipi in essentiâ tanquam actus in potentiâ; ergo existentia non distinguitur realiter ab essentia. Prob. min. Si essentia reciperet existentiam tanquam actum, ipsa essentia deberet esse actu & extra causas antè receptionem existentiæ, quia quod recipit aliud præsupponitur esse actu, ut illud possit recipere:

atqui essentia non est actu & extra causas antè receptionem existentiæ, cum ipsa essentia ponatur extra causas per existentiam; ergo essentia non recipit existentiam tanquam actum.

Resp. neg. maj. ad cujus prob. dist. maj. Si essentia reciperet existentiam deberet esse actu inchoato & incompleto conc. adæquato & completo neg. Quia res quælibet incompletè & inchoativè extra causas ponitur per se ipsam; completè verò ultimò & totaliter per existentiam tanquam per ultimum actum.

Obji. 2. Si existentia distingueretur realiter ab essentiâ, daretur processus in infinitum, quia sic daretur existentia existentiæ: atqui illud non potest dici; ergo &c. Prob. sequela maj. Existentia deberet existere accidentaliter per aliquid distinctum à se ipsâ, quia soli Deo convenit existere per suum esse; ergo daretur existentia existentiæ.

Resp. neg. sequelam maj. & ad prob. dist. ant. Existentia deberet existere accidentaliter ut quo conc. ut quod nego. Quia ut existentia existat accidentaliter, non debet habere existentiam aliam distinctam, quia quod est per se tale non indiget fieri tale per aliud.

Obj. 3. & ultimò. Quæ producuntur eâdem actione, & eâdem corruptione desinunt, sunt unum & idem realiter: atqui essentia & existentia producuntur eâdem actione, quia essentia producitur quando recipit existentiam: ergo essentia & existentia sunt unum & idem realiter.

Resp. 1. neg. maj. Quia plurima sunt quæ

producuntur eâdem actione, & tamen distinguntur realiter; siquidem essentia & proprietates distinguntur realiter, & tamen producuntur per eandem actionem, quæ primariò terminatur ad essentiam, secundariò verò ad proprietates. Proindè absolutè & simpliciter non est verum, quòd illa quæ producuntur per eandem actionem sint unum & idem.

Resp. 2. dist. maj. Quæ producuntur per eandem actionem & eodem modo sunt unum & idem conc. quæ producuntur per eandem actionem diverso modo sunt unum & idem neg. Similiter distinguenda est minor propositio. Essentia & existentia producuntur per eandem actionem diverso modo conc. eodem modo nego. Quia essentia producitur ut quod, cum sit illud quod producitur, & existentia producitur ut quo, quia est actus quo mediante essentia ponitur extra causas.



ARTICULUS III.

Vtrum existentia distinguatur realiter à subsistentia.

Notandum est, subsistentiam prius advenire naturæ sive essentiæ quàm existentiam, quia cum subsistentia sit ratio formalis qua mediante essentia rei substantialis recipit existentiam, debet illi prius advenire quàm existentia.

Dicendum est existentiam distingui realiter à subsistentiâ.

Prob. Quæ producuntur à diversis causis principalibus distinguuntur realiter : atqui subsistentia & existentia producuntur à diversis causis principalibus ; ergo distinguuntur realiter. Major est evidens, quia unus & idem effectus non potest produci à duabus causis. Prob. ergo min. Existentia producitur à solo Deo tanquam à causâ principali, subsistentia verò producitur à causâ secundâ ; ergo subsistentia & existentia producuntur à diversis causis principalibus.

Obj. 1. ex S. Tho. in 3. dist. 5. q. 1. art. 3. *Esse per se est de ratione personæ* : atqui per ly esse per se intelligit existentiam;ergo existentia non distinguitur realiter à subsistentiâ.

Resp. dist. auct. S. Tho. Esse per se aptitudinale & radicaliter sumptum est de ratione personæ conc. esse per se actuale & formaliter sumptum neg. Quia cum subsistentia sit fundamentum & radix quâ aliquid per se existit independenter ab alio, sumitur aliquando pro ipsa existentiâ.

Obj. 2. ex eodem S. Thom. *Persona est quid perfectissimum & completum* : atqui si existentia distingueretur realiter à personalitate, adveniret illi tanquam aliquid extrinsecum,& proindè persona non esset aliquid perfectissimum & completum in ratione substantiæ cum illi deesset existentia quæ est ultimum complementum personæ : ergo existentia non distinguitur realiter à subsistentiâ.

Resp. dist. min. Persona non esset quid perfectissimum tam secundum illud quod im-

portat in esse quàm existere conc. secundum illud quod importat in esse tantùm neg. Quia persona completur tribus terminis. Primò completur per formam essentialem tanquam per terminum quo, sive quo mediante recipit omnia. Secundò completur per subsistentiam tanquam per terminum quod, sive illud quod suscipit existentiam & accidentia. Ultimò denique completur per existentiam tanquam per terminum extrinsecùs advenientem quo ponitur extra causas, & sic dicendum quòd persona dicitur quid perfectissimum secundùm illud quod includit in esse.

Obj. ultimò ex eodem S. Tho. in essentiis immaterialibus datur tantùm unica compositio realis: atqui si existentia & subsistentia distinguerentur realiter, esset duplex compositio realis in essentiis immaterialibus: ergo existentia & subsistentia non distinguuntur realiter. Prob. min. existentia & subsistentia faciunt compositionem realem; atqui subsistentia & essentia facerent alteram compositionem realem, quia illa quæ distinguuntur realiter faciunt realem compositionem: ergo duplex est compositio realis.

Resp. dist. mai. In essentiis immaterialibus datur unica compositio propriè dicta con. impropriè dicta neg. Quia illa compositio dicitur propriè realis quæ fit inter illa quæ habent rationem partis & quæ sunt incompleta: compositio verò impropria est illa quæ fit inter aliqua quæ distinguuntur quidem realiter, & quæ tamen sunt completa: sic subsistentia & existentia faciunt compositionem realem.



ARTICULUS ULTIMUS.

Vtrum in composito detur unica tantùm existentia, & utrum accidentia habeant suam propriam existentiam distinctam realiter ab existentia totius compositi.

NOtandum est, quòd ibi difficulas non procedit de Angelis; nullus enim dubitat, quin in illis sit unica existentia, quia non componuntur ex partibus Physicis, materiâ scilicet & formâ; sed componuntur quidem ex partibus Metaphysicis, scilicet essentiâ, existentiâ & subsistentiâ, sed evidens est, quod eadem est existentia quâ existit essentia & subsistentia; difficultas ergo procedit de substantiis materialibus quæ componuntur ex materiâ & formâ tanquam partibus essentialibus, & ex partibus integralibus quæ sunt etiam substantiales. Quæritur ergo utrum illa omnia existant unicâ existentiâ; D. Tho. docet in quolibet composito substantiali dari tantùm unicam existentiam totalem, quâ primariò existit totum compositum, secundariò verò existunt partes tam esentiales quam integrantes.

Dicendum est 1. Dari unicam existentiam

in quolibet composito substantiali.

Prob. Materia & forma quæ sunt partes compositi, faciunt compositum unum per se; sed materia & forma non facerent unum compositum per se sed unum compositum per accidens, si in composito Physico darentur plures existentiæ; ergo in quolibet composito datur unica existentia. Prob. min. Illud compositum dicitur unum per accidens quod componitur ex plurimis entibus in actu: atqui si darentur plures existentiæ in composito, quælibet pars compositi esset ens in actu; ergo compositum esset unum per accidens. Prob. min. Illud est ens in actu quod habet ultimum actum: atqui si darentur plures existentiæ in composito, quælibet pars haberet actum ultimum per existentiam; ergo quælibet pars esset ens in actu.

Dicendum est 2. Quælibet accidentia habere suam propriam existentiam distinctam ab existentiâ compositi.

Prob. Accidentia habent existentiam distinctam ab existentiâ compositi, si sint quædam accidentia quæ existant independenter ab existentiâ subjecti: atqui aliqua sunt accidentia (scilicet Eucharistica) quæ existunt independenter ab existentiâ subjecti; ergo habent existentiam distinctam ab existentiâ compositi: si verò dicat aliquis, quòd illa accidentia in Eucharistia inhærent in quantitate tanquam in subjecto (ut docet D. Tho.) & quòd ita existunt per existentiam quantitatis, semper verum est, quòd quantitas existit independenter ab existentiâ subjecti, cum ipsa quantitas in nullo sit subjecto.



QUÆSTIO III.

De ente subsistente.

UNICUM dumtaxat complectetur Articulum ista Quæstio, in quo quæretur, quid ens subsistens addat supra essentiam.



ARTICULUS UNICUS.

Vtrum subsistentia addat supra essentiam aliquid reale positivum ab illa distinctum realiter.

NOtandum est 1. Subsistentiam definiri actum quo essentia per se stat & recipit esse independenter ab alio. Ille autem actus varia sortitur nomina, modò vocatur subsistentia, modò suppositalitas, modò personalitas sive hypostasis. Vocatur subsistentia, quia denominat naturam subsistentem, & reddit illam existentem independenter ab alio. Vocatur suppositalitas, quia denominat naturam suppositum, & reddit ipsam incommunicabilem alteri supposito. Vocatur etiam persona-

litas, quia denominat naturam personam; persona autem definitur rationalis naturæ individua substantia.

Notandum est 2. Quòd duo quæruntur in isto Articulo. In primo quæritur, utrum subsistentia addat supra essentiam aliquid reale distinctum ab essentia. 2. Quæritur utrum illud reale sit positivum vel negativum; circa quod duplex est opinio. Scotus affirmat subsistentiam esse tantùm negationem dependentiæ tam actualis quam aptitudinalis; ita ut natura subsistens non dependeat ab alio ut existat nec aptitudine nec actu. Div. Thom. docet subsistentiam esse aliquid reale positivum naturæ superadditum.

Dicendum est. 1. Subsistentiam addere supra essentiam aliquid reale distinctum realiter ab essentiâ.

Prob. Verbum divinum assumpsit naturam humanam, & non assumpsit suppositum creatum; ergò inter naturam humanam & suppositum debet reperiri distinctio; quia essentia & subsistentia realiter separantur in Christo, & proindè distinguuntur realiter. Præterea si distinguerentur tantùm ratione, sequeretur quòd verbum divinum assumendo naturam humanam assumpsisset personam creatam à parte rei & secundum entitatem, licet non assumpsisset secundum nostrum modum concipiendi; quia qui sumit aliquid, sumit simul omne illud quod identificatur cum illo; ergò subsistentia & essentia distinguntur realiter.

Dicendum est 2. Et ultimò illud reale quod

quod additur supra essentiam esse aliquid positivum.

Prob. Verbum divinum supplet personalitatem creatam tribuendo naturæ humanæ effectum formalem quem propria personalitas illi tribueret: atqui si personalitas non esset aliquid reale positivum, Verbum divinum non posset supplere personalitatem creatam; ergò personalitas est aliquid reale positivum. Prob. min. absurdum est dicere Verbum divinum supplere quasi nihil: atqui si personalitas non esset aliquid reale positivum, esset quasi nihil; ergò Verbum divinum supplendo personalitatem suppleret nihil.


Obji. 1. Verbum divinum non assumpsit subsistentiam creatam, quia debebat illâ carere, ne admitteretur hæresis Næstoriana admittens duas personas & duo supposita in Christo: atqui si subsistentia esset aliquid reale positivum, Christus debuisset assumere illam personalitatem; ergò admitterentur duæ personæ in Christo. Prob. min. nulla perfectio defuit naturæ humanæ, quia (ut inquit D. Damascænus) *Deus assumpsit quidquid in homine plantaverat*; ergò si subsistentia esset aliqua perfectio realis positiva, Christus debuisset illam assumere.

Resp. neg. min. ad cujus prob. dist. ant. nulla perfectio positiva quæ spectet ad essentialem & intrinsecam perfectionem defuit naturæ Christi conc. nulla perfectio positiva quæ sit extra essentiam defuit naturæ Christi nego. Quia omnes auctoritates solùm docent Deum assumpsisse & sibi univisse huma-

nitatem perfectam quoad essentialia.

Obji. ultimò. Si personalitas esset aliquid distinctum ab essentia, sequeretur quòd natura intellectualis posset fieri singularis & non personata: atqui natura intellectualis non potest fieri singularis & non personata; ergò personalitas non distinguitur realiter ab essentia. Prob. sequela maj. Deus posset impedire ne illa perfectio oriretur in natura, cum personalitas sit distincta à naturâ, & sit aliquid posterius ipsâ naturâ; ergò si subsistentia esset aliquid realiter distinctum ab essentia, natura intellectualis posset fieri singularis & non personata.

Resp. dist. maj. natura intellectualis posset fieri singularis & non personata supernaturaliter conc. naturaliter nego. Quia licet illud non possit fieri potentiâ naturali, quia naturali consecutione personalitas emanat à naturâ, Deus potest tamen conservare naturam absque omni personalitate.



QUÆSTIO QUARTA.

De Ente Angelico.

IN ista quæstione agetur de existentiâ, immaterialitate, loco, & locutione Angelorum.



ARTICULUS PRIMUS.

Vtrum Dentur Angeli.

DIcendum est; dari Angelos.

Prob. 1. Auth. Scripturæ. Genesceos cap. 2. dicitur. *Collocavit Dominus antè Paradisum voluptatis Cherubin ad Custodiendam viam ligni vitæ*, & cap. 18. dicitur *vidit Iacob scalam & Angelos ascendentes & descendentes.* Et plurimæ aliæ sunt Sacræ scripturæ auctoritates quæ probant dari Angelos. Nam (ut ait S. Greg. hom. 34. in Evang.) *Angelos & Archangelos penè omnes sacri eloquii paginæ testantur; existentiam enim Angelorum probant mirabiles effectus qui videntur in energumenis, omnes enim illi effectus non possunt provenire à melancholia vel atra bili? Quomodo enim melancholia illos alienorum secretorum conscios & Peregrinorum idiomatum sine labore eruditos facere posset.*

Prob. 2. Ratione. Deus condidit mundum perfectum: atqui perfectio mundi exigit, ut dentur Angeli; ergò dantur Angeli. Prob. min. ad universi perfectionem & pulchritudinem requiritur ut omnes gradus essendi contineat: atqui si non darentur substantiæ purè intellectuales, non contineret omnes gradus essendi; quia gradus omnium perfectissimus, scilicet purè intellectualis deesset; ergò mundi perfectio postulat, ut

dentur substantiæ purè intellectuales.

Obji. 1. Ex sententia saducæorum qui nullum admittebant Angelum, neque ullum spiritum; dicebant enim Angelos, de quibus loquitur scriptura, esse tantum quosdam animi motus, & cogitationes quas Deus hominibus mittebat; & ita docebant, quòd Angelus, (de quo dicitur Geneseos 22. quòd prohibuerit Abraham ne occideret Isaac,) erat tantum aliqua cogitatio quam Deus excitavit in mente Abrahæ quâ cognosceret Deum nolle Isaac immolari; ergò non dantur Angeli.

Resp. neg. ant. & falsam saducæorum interpretationem. Quia illa omnia quæ in scriptura sacra tribuuntur Angelis, non possunt tribui cogitationibus; dicit enim scriptura sacra *Angelos descendere cælo, apparere in cœlis, luctari cum Iacob, loqui, miracula facere, & præesse hominibus*: sed illa omnia non possunt tribui cogitationibus; ergò scriptura sacra non intelligit per Angelos cogitationes; & proindè falsa est saducæorum interpretatio.

Obji. 2. Si darentur Angeli, fuissent creati à Deo vel antè mundi constitutionem vel in ipsâ mundi constitutione: atqui non fuerunt creati antè mundi constitutionem, neque in ipsâ mundi constitutione; siquidem Moyses describens & enumerans omnia quæ fuerunt creata à Deo, nullam facit mentionem de Angelis.

Resp. 1. Quòd Angeli non fuerunt creati antè mundi constitutionem, licet illud plures ex patribus græcis docuerint; contrarium enim fuit definitum à Concilio Lateranensi

à quo asseritur Deum simul ab initio temporis utramque de nihilo condidisse creaturam, spiritualem & corpoream, Angelicam & mundanam.

Resp. 2. Quòd Angeli initio temporis fuerunt creati: Moyses autem non facit mentionem de Angelis propter duplicem rationem 1. Quia sui instituti ratio non postulabat; siquidem ex mente S. Hyeronimis *Moyses volebat tantum ordinem creationis rerum corporalium describere.* 2. Quia (ut ait S. Tho. 1. p. q. 61. art. 1. ad 1.) *Moyses rudi populo loquebatur qui nondum capere poterat incorpoream naturam, & si eis fuisset expressum aliquas res esse supra omnem naturam corpoream, fuisset eis occasio Idololatriæ ad quam proni erant, & à quâ Moyses præcipuè eos revocare intendebat.*

Obji. 3. Si in ipsâ mundi constitutione fuissent creati Angeli, posset assignari locus in quo Angeli fuissent creati: atqui non potest assignari locus in quo fuerint creati; ergò non fuerunt creati in ipsâ mundi constitutione.

Resp. neg. min. quia Angeli fuerunt creati in cælo Empyreo; siquidem cum Angeli [redacted]obilissima universi, & creati ut toti naturæ corporeæ præsiderent, debebant creari in loco omnium nonibilissimo, scilicet in cælo Empyreo.


Inst. homo non fuit creatus in Paradiso Terrestri & in loco suæ beatitudinis, sed extra illum & postea in ipsum translatus; ergò conveniens erat, ut Angeli crearentur extra cælum Empyreum, & postea juxta merita

sua in ipsum transferrentur.

Resp. neg. paritatem. Quia ex S. Tho. 1. p. q. 102. art. 2. *Paradisus fuit locus congruus habitationi humanæ, quantum ad incorruptionem primi status; incorruptio autem illa non erat hominis secundum naturam, sed ex supernaturali Dei dono; ut ergò hoc gratiæ Dei imputaretur, non humanæ naturæ, Deus hominem extra Paradisum fecit, & postea ipsum in Paradiso posuit; ut habitaret ibi toto tempore animalis vitæ, postmodum cum spiritualem vitam adeptus esset, transferendus in cælum*; & ut docet idem S. Tho. in eodem articulo ad primum, *cælum Empyreum est locus congruus Angelis, & ideò ibi sunt creati.*

Inst. iterum: si cælum Empyreum esset locus congruus Angelis, in illo creati fuissent, & in illo peccassent: atqui non poterant in cælo peccare, quia ad Empyrei dignitatem pertinebat, ut esset omni labe peccati purissimum; ergò cælum Empyreum non erat locus congruus Angelis.

Resp. neg. min. quia Angeli peccaverunt in cælo & tamen cælum non fuit coinquinatum peccato Angelorum, quia locus corporeus non potest coinquinari pecato spirituali: sed cælum Empyreum fuit totum [illegible] ergò ille locus non poterat coinquinari.





ARTICULUS II.

Utrum Angeli sint Immateriales & incorruptibiles.

DIcendum est 1. Angelos esse incorporeos & incorruptibiles.

Prob. pulchritudo & perfectio mundi exigit, ut sint aliquæ substantiæ purè spirituales & purè intellectuales: atqui illæ substantiæ purè intellectuales debent esse purè immateriales; ergò Angeli sunt immateriales. Prob. min. substantiæ purè intellectuales debent excludere illud omne quod impedit intellectualitatem & scientiam: atqui materia impedit intellectualitatem & scientiam (juxta illud) *corpus quod corrumpitur, aggravat animam*; ergò substantiæ intellectuales debent esse immateriales.

Obji. 1. Concilium Nicænum videtur approbare sententiam Joannis Episcopi Thessalonicensis asserentis Angelos posse depingi cum corpore; ergo Angeli sunt materiales.

Resp. quòd Concilium approbat illam sententiam secundum unam partem non autem secundum aliam; approbat enim quòd Angeli possunt depingi cum corpore, quia apparuerunt hominibus in specie corporea; non verò approbat Angelos esse corporeos, quin imò expressè docet alioin loco illos esse omninò immateriales.

Obji. 2. Visi sunt Angeli oculis corporeis; siquidem *per totam noctem Luctatus est Jacob cum Angelo*, & *Tobiam in itinere comitatus est Raphaël*; ergò Angeli non sunt immateriales.

Resp. neg. conseq. quia licet aliquando visi sint oculis corporeis, non habebant propria corpora; sed ex tenui & subtili materia efformabant corpora quæ movebant localiter, & in quibus erant visibiles; & in hoc sensu illis tribuuntur aliqua opera vitalia, licet propriè illa non exercuerint.

Obji. 3. Sancti Patres affirmant Angelos esse corporeos & materiales; ergò Angeli non sunt immateriales.

Resp. dist. omnes aucth. quæ possunt desumi ex Sanctis Patribus. Angeli sunt materiales comparativè ad Deum conc. formaliter nego. Ratio patet ex dictis, vel etiam potest dici, quòd sæpè per Angelos intelliguntur homines dignitate clari, (ut docet Apostolus) dicendo mulieres velare faciem propter Angelos Dei, id est Sacerdotes.

Obji. ultimò: res corporeæ & materiales agunt in Angelos; ignis enim Inferni cruciat Dæmones, & quibusdam rebus corporeis fugantur Dæmones; ergo Angeli sunt materiales, quia res corporea non potest agere in incorpoream.

Resp. dist. ant. res corporeæ agunt in Angelos, ut sunt instrumenta Divinæ Justitiæ conc. ut sunt causæ principales neg. quia ignis corporeus Inferni est instrumentum Divinæ Justitiæ.

Dicendum est. 2. Et ultimò, Angelos esse

ex natura sua & ab intrinseco incorruptibiles,

Prob. illud est incorruptibile per gratiam quod habet in se potentiam ad non esse, quod tamen conservatur in esse virtute aliqua; illud verò est incorruptibile ex natura sua & ab intrinseco, quod licet possit annihilari per potentiam Dei absolutam substrahendo suum concursum, tamen ex natura sua & ab intrinseco non habet potentiam ad non esse: atqui tales sunt Angeli; ergo sunt incorruptibiles. Prob. min. omnis potentia ad non esse procedit à materiâ : atqui Angeli non habent materiam; ergo non habent potentiam ad non esse.

Obji. 1. Angeli sunt incorruptibiles per gratiam; siquidem (ut ait Damascænus lib. 1. de Fide. cap. 3.) *Angelus est substantia intellectualis per gratiam, non naturâ immortalitatem consecutâ*; & S. Ambr. libro 3. de Fide. *Angelus*, inquit, *est naturaliter immortalis cujus immortalitas est in voluntate creatoris*; ergo Angeli non sunt incorruptibiles ex naturâ suâ & ab intrinseco.

Resp. 1. Dist. ant. Angeli sunt incorruptibiles per gratiam incorruptibilitate morali conc. naturali neg. quia duplex datur incorruptibilitas, scilicet moralis quæ in hoc consistit quod aliquis non possit transire de bono in malum, & naturalis quæ consistit in hoc, quod aliquis non possit transire de esse ad non esse. Utraque incorruptibilitas convenit Angelis, sed diversimodè; habent enim incorruptibilitatem moralem per gratiam, quia sunt immutabiles de bono in malum. Habent etiam incorruptibilitatem naturalem

ex naturâ ſua & ab intrinſeco, quia ſunt immutabiles de eſſe ad non eſſe.

Reſp. 2. Diſt. ant. Angeli ſunt incorruptibiles per gratiam conſervativam conc. per gratiam habitualem neg. quia licet Angeli redigerentur in nihilum niſi conſervarentur à Deo in eſſe, dicuntur tamen ab intrinſeco incorruptibiles.

Inſt. atqui conſervatio non poteſt vocari gratia; ergo illæ patrum auct. non intelliguntur de gratia conſervativa. Prob. ſubſ. conſervatio non eſt gratuita; ergo non eſt gratia. Prob. ant. conſervatio eſt naturaliter debita Angelo; ergo conſervatio non eſt gratuita.

Reſp. neg. ſubſ. ad cujus prob. diſt. ant. conſervatio non eſt gratuita ſecundum ſe conc. in radice neg. quia licet ille concurſus conſervativus ſit naturaliter debitus Angelo in ſe, eſt tamen gratuitus in radice per rationem creationis quæ nullo modo erat debita Angelo, & ita conſervatio appellatur gratia in radice; ſicut vita æterna appellatur gratia, licet ſit debita meritis noſtris ratione primæ vocationis quæ fuit pure gratuita.

Obji. ultimò Angeli habent potentiam intrinſecam ad non eſſe, ſive ut à Deo annihilentur; ergo Angeli non ſunt incorruptibiles ex naturâ ſuâ & ab intrinſeco. Prob. ant. ſi non haberent potentiam intrinſecam, ut à Deo annihilarentur, Deus annihilando Angelos inferret ipſis violentiam: atqui Deus non poteſt illis inferre violentiam; ergo Angeli habent potentiam intrinſecam, ut à Deo annihilentur.

Resp. neg. ant. & sequelam maj. quia licet Angeli non habeant potentiam itrinsecam ad annihilationem, habent tamen potentiam obedientialem; unde dicendum, quòd Deus annihilando Angelum, faceret contra inclinationem particularem, non verò contra inclinationem universalem; quoniam Angelus ut pars uniuersi habet ad obediendum creatori, & ita sicut non sit violentia aquæ quæ ascendit ad replendum vacuum quia cum sit pars universi habet majorem inclinationem ad bonum universi quam ad proprium: ita Angelus nullam pateretur violentiam, cum à Deo annihilaretur, quia habet majorem inclinationem ad obediendum Deo quàm ad bonum privatum.



ARTICULUS III.

Vtrum Angeli per seipsos individuentur & utrùm possint dari plures Angeli ejusdem speciei, solo numero distincti.

DIcendum est. Angelos individuari per seipsos.

Prob. ratione desumpta ex Sancto Thoma. Per illud Angeli individuantur per quod redduntur incommunicabiles: atqui redduntur incommunicabiles per propriam formam; ergo Angeli individuantur per se ipsos.

Prob. min. esse omninò immateriale est esse omnino incommunicabile : atqui Angeli sunt omnino immateriales per propriam formam ; ergo & incommunicabiles.

Dicendum est. 2. Angelos ita inter se distingui ut nullo modo nec divinitus etiam possint dari duo Angeli ejusdem speciei, & solo numero distincti.

Prob. quod repugnat, non potest etiam divinitus fieri : atqui repugnat dari duos Angelos ejusdem speciei & solo numero diversos ; ergo illud non potest etiam divinitus fieri. Prob. min. repugnat quod substantiæ separatæ à materia, & nullum dicentes ordinem ad materiam multiplicentur numericè, quia materia est principium multiplicationis numericæ : atqui Angeli sunt substantiæ separatæ à materia, & nullum dicentes ordinem ad materiam, ergo repugnat quod Angeli multiplicentur numericè.

Obji. 1. Anima rationalis est immaterialis & tamen numero multiplicatur ; ergo licet Angeli sint immateriales possunt numero multiplicari.

Resp. dist. ant. anima rationalis est immaterialis ut quod & entitativè, conc. ut quo N. quia licet anima rationalis sit immaterialis ut quod & entitativè, quatenus est illud quod est immateriale : tamen dicitur immaterialis terminativè quia ordinatur ad materiam & per illum ordinem quem dicit ad materiam potest multiplicari numero. Cum autem natura Angelica sit omnino immaterialis tam entitativè, quàm terminativè, nullomodo potest multiplicari.

Obji·

Obji. 2. In natura Angelica reperitur individuatio, sive unitas naturæ; ergo in natura Angelica potest reperiri multiplicatio; cum idem sit principium unitatis numericæ & multiplicationis.

Resp. dist. ant. in natura Angelica reperitur individuatio sine multiplicatione, conc. cum multiplicatione, neg. quia licet in substãtiis corporeis idem sit principium unitatis numericæ & multiplicationis, tamen in substantiis spiritualibus illud quod est principium unitatis numericæ non potest esse principium multiplicationis numericæ, cum sola materia sit principium hujusmodi, ut pote divisibilis per quantitatem.

Obji. ultimo. Natura Angelica potest habere plura individua si Deus possit illi communicare aliquod principium quod non sit materia, per quod fiat multiplicatio numerica: atqui potest communicare naturæ Angelicæ tale principium; ergo natura Angelica potest habere plura individua.

Resp. neg. min. quia differentia individualis quæ est intrinseca, non potest provenire à principio extrinseco, & ab Angelo separabili, sed principium quod Deus naturæ Angelicæ communicaret, esset extrinsecum & à naturâ Angelica separabile; & proinde differentia individualis non posset provenire à principio extrinseco.



ARTICULUS IV.

Vtrum Natura Angelica possit fieri universalis.

NOtandum est duplex esse universale, nempè universale secundum rem, & secundum rationem tantum. Universale secundum rem & rationem est illud quod de facto multis inest, vel inesse potest, sicut natura humana. Universale secundum rationem tantum est illud quod non invenitur nec inveniri potest in pluribus, potest tamen à nobis intelligi ut communicabile multis; ita se habet natura Angelica; cum careat materia quæ est principium individuationis & multiplicationis; & proinde non possunt dari plures Angeli ejusdem speciei, ut probatum fuit in præcedenti articulo, & ita si consideremus naturam Angelicam ut est in se, ipsa non potest fieri universalis nec secundum rem nec secundum rationem, quia non est communicabilis multis: sed quia concipimus illam aliter ac est in se, ut abstractam à singularitate, potest fieri universalis, & proinde.

Dicendum est naturam Angelicam posse fieri universalem.

Prob. 1. Auth. S. Th. qui quæst. unica de spiritualibus creaturis, Art. 8. ad 4. ait. *Natura hujus Angeli non prohibetur esse in mul-*

tis, ex eo quod est natura in tali ordine rerum, quod pertinet ad rationem speciei; sed ex hoc quod non est nata recipi in aliquo subjecto, quod pertinet ad rationem individui: atqui naturam Angelicam posse esse in multis, idem est ac posse fieri universalem; ergo natura Angelica fieri potest universalis.

Prob. 2. Ratione: definitio universalis potest convenire Angelicæ naturæ; ergo natura Angelica potest fieri universalis. Prob. ant. definitio universalis convenit naturæ Angelicæ si natura Angelica possit dicere ordinem ad inferiora: atqui natura Angelica potest dicere ordinem ad inferiora; ergo definitio universalis potest convenire naturæ Angelicæ. Prob. min. natura cujuslibet Angeli abstracta à differentia individuali habet aptitudinem ut insit & communicetur non tantum hujusmodi differentiæ individuali, sed etiam multis aliis si de facto poneretur in re: atqui habere aptitudinem essendi in multis, idem est ac dicere ordinem ad inferiora; ergo natura Angelica potest dicere ordinem ad inferiora. Prob. maj. naturam esse abstractam à differentia individuali, est esse liberam à singularitate, & hoc est esse indifferentem communicari illi vel illi individuo: atqui esse indifferentem communicari illi vel illi individuo, est dicere ordinem ad inferiora; ergo natura Angelica potest dicere ordinem ad inferiora, & proinde potest fieri vniversalis.

Obji. 1. Natura Angelica non potest ha-

bere aptitudinem ad multa individua ; ergo non potest fieri universalis. Prob. ant. illa individua sunt impossibilia ; ergo non potest dicere ordinem ad multa inferiora.

Resp. neg. ant. ad cujus prop. dist. ant. illa multa individua sunt impossibilia ex parte naturæ adæquatè consideratæ , con. ex parte naturæ inadæquate consideratæ neg. quia natura Angelica potest dupliciter considerari , adæquate scilicet & inadæquate, Natura adæquatè considerata includit prædicata essentialia per quæ constituitur in esse talis naturæ , & includit etiam differentiam individualem sive singularitatem , v. g. Michaëleitatem per quam constituitur in esse talis individui. Natura inadæquatè considerata continet tantùm prædicata essentialia per quæ constituitur in esse talis naturæ specificæ;illa quidem individua sunt incompossibilia ex parte naturæ adæquatè consideratæ, quia natura Angelica adæquatè considerata nullo modo potest concipi ut communicabilis multis, sed illa individua sunt possibilia ex parte naturæ inadæquatè consideratæ; quia natura Angelica ex præciso naturæ conceptu hoc est à sua indifferentia individuali abstracta non includit pluralitatem individuorum , cum ex vi talis conceptus habeat aptitudinem ad multa , si de facto possent dari , quod est habere multa individua negativè & per non repugnantiam ; ita si illa natura non communicetur multis , hoc non est deffectu naturæ , sed defectu individuorum ; illud patebit exemplo. Quando ex tribus filiis duo moriuntur , relatio ad

unum superstitem est terminata, & tamen apta transferri ad alios filios jam mortuos; & si illos actu respiciat, illud non se tenet ex defectu sui, sed ex defectu filiorum qui non possunt reviviscere: ita licet natura Angelica abstracta à differentia individuali non respiciat multa illud non se tenet ex parte naturæ, sed ex parte individuorum quæ non possunt dari.

Inst. atqui illa individua non sunt possibilia ex parte naturæ inadæquatè consideratæ; ergo nulla solutio. Prob. subs. natura inadæquatè considerata nullomodo potest multiplicari; ergo illa individua sunt impossibilia etiam ex parte naturæ inadæquatè consideratæ. Prob. ant. natura illa nullo modo potest multiplicari quæ caret principio multiplicationis: atqui natura Angelica caret principio multiplicationis; ergo nullomodo potest multiplicari. Prob. min. materia est principium multiplicationis: atqui natura Angelica caret materia; ergo caret principio multiplicationis.

Resp. dist. ult. maj. propo: materia est principium multiplicationis realis, & absolutæ, con. multiplicationis secundum rationem neg. quia sicut datur duplex universale, scilicet universale secundum rem, & secundum rationem; ita datur duplex multiplicatio, scilicet multiplicatio secundum rem, & secundum rationem. Multiplicatio secundum rem est illa quæ convenit rei quæ de facto multiplicatur. Multiplicatio secundum rationem est illa quæ convenit rei tantum per intellectum, quando scilicet intellectus

cognoſcit aliquid quaſi multiplicari, quod tamen ex ſe non poteſt multiplicari. Duplici illi multiplicationi correſpondēt duo principia. Unum eſt principium multiplicationis realis & abſolutæ, & aliud eſt principium ſecundum rationem. Materia eſt principium multiplicationis realis & abſolutæ: ideo cum natura Angelica careat illo principio, non multiplicatur de facto. Principium multiplicationis ſecundum rationem eſt cognitio naturæ Angelicæ ad modum rei corporeæ, & præciſio à ſingularitate; & ideo cum natura Angelica poſſit cognoſci ad modum rei corporeæ, & cum poſſit præſcindi à ſua ſigularitate, habet principium multiplicationis ſecundum rationem.

Inſt. iterum: atqui natura Angelica non habet principium multiplicationis ſecundum rationem; ergo nulla ſolutio. Prob. ſubſ. principium multiplicationis ſecundum rationem eſt præciſio naturæ à ſingularitate; ergo natura Angelica non habet principium multiplicationis ſecundum rationem, ſi non poſſit præcindi à ſingularitate: atqui natura Angelica non poteſt præcindi à ſingularitate; ergo non habet principium multiplicationis ſecundum rationem. Prob. min. ſingularitas eſt eſſentialis naturæ Angelicæ; ergo natura Angelica non poteſt præcindi à ſingularitate.

Reſp. neg. ſubſ. & min. & diſt. ant. ſingularitas radicalis eſt eſſentialis naturæ Angelicæ, con. ſingularitas formalis, neg. quia duplex datur ſingularitas radicalis & formalis. Singularitas radicalis eſt ipſa forma An-

gelica incommunicabilis quæ est tantum radix individuationis, & ipsa forma Angelica immaterialis est essentialis naturæ Angelicæ. Singularitas verò formalis est ipsa indifferentia individualis quæ non est de essentia Angelicæ naturæ.

Obji. 2. Si natura Angelica posset fieri universalis, natura etiam divina posset fieri universalis: atqui natura divina non potest fieri universalis; ergo nec natura Angelica. Prob. seq. maj. ideo natura Angelica potest fieri universalis, quia potest abstrahi à sua singularitate: atqui natura etiam divina potest abstrahi à sua singularitate; ergo natura divina posset fieri universalis.

Resp. neg. seq. maj. ad cujus prob. neg. min. quia natura divina non potest abstrahi à singularitate, cum sit de conceptu formali illius; & etiam licet natura divina posset perfectè abstrahi, non tamen posset fieri universalis, quia natura divina nullomodo potest concipi ut potentialis & indifferens ad multa; est enim actus purissimus, & proindè excludit omnem potentialitatem.

Obji. ultimo. Si natura Angeli inadæquatè considerata posset fieri universalis, natura Petri inadæquatè considerata posset fieri universalis: atqui natura Petri inadæquatè considerata non potest fieri universalis; ergo natura Angeli inadæquatè considerata non potest fieri universalis.

Resp. neg. sequelam majoris. Quia Petrus importat primario & formaliter suam singularitatem à quâ natura Petri non potest abstrahi, & proindè potest fieri universalis;

natura autem Angelica importat radicaliter tantùm suam singularitem à quâ potest abstrahi, & proinde potest fieri universalis.



ARTICULUS V.

Per quid Angeli constituantur in loco Naturali.

Notandum est. Quòd Angeli possunt esse in duplici loco, naturali scilicet & violento. Locus naturalis est ille ad quem Angeli se applicant per suam voluntatem & juxta suam inclinationem. Violentus verò est ille in quo Angeli collocantur contra suam voluntatem; certum autem est Angelum non collocari in utroque per commensurationem, ita ut respondeat toti loco & singulis ejus partibus, cum Angelus nullas habeat partes & sit insensibilis propter immaterialitatem. Ibi verò agitur de loco naturali tantum.

Dicendum est. Angelum constitui in loco naturali per operationem.

Prob. ratione S. Tho. 1. Parte quæst. 72. art. 1. *Per illud Angelus constituitur in loco per quod Angelus tangit actu locum*; sicuti aliquid per quantitatem est in loco circumscriptivè, quia per illam tangit locum; atqui Angelus tangit locum per suam operationem; ergo Angelus constituitur in loco per suam operationem. Prob. min. substantia imma-

terialis non potest tangere locum contactu Physico: ita ut extremitas illius sit simul cum extremitate loci, cum nullam habeat extremitatem; ergo tangit locum per contactum virtutis: atqui contactus virtutis est operatio: ergo Angelus tangit locum per operationem.

Obji. 1. Angeli sunt in cælo Empyreo tanquam in loco naturali: atqui Angeli ibi non operantur: ergo Angeli non constituuntur in illo loco per operationem.

Resp. neg. min. quia Angeli producunt in cælo Empyreo ornatum quemdam quo splendor illius loci augetur, & corpus licet perfectissimum perficitur & decoratur.

Obji. 2. Angeli Custodes nobis semper sunt præsentes: atqui circa nos semper non operantur: ergo non constituuntur in loco per operationem.

Resp. neg. min. quia Angeli Custodes circa nos semper operantur, retinendo imaginationem, suggerendo bonas cogitationes, à nobis removendo pericula: & sicut infinita sunt pericula quæ nos latent, ita sunt infinitæ actiones quas circa nos exercent.

Obji. 3. Si Angelus constitueretur in loco per operationem, Angelus movens orbem cælestem esset in toto orbe cælesti; atqui illud non potest dici: ergo &c.

Resp. neg. sequelam maj. quia substantia Angeli non est immediatè nisi in illa parte cæli quam movet immediatè.

Obji. 4. Angelus non constituitur per operationem, si prius constituatur in loco quàm operetur: atqui prius constituitur in loco quàm in illo operetur; ergo Angelus

non constituitur in loco per operationem. Prob. min. prius est Angelum esse sive existere quàm operari; ergo Angelus prius constituitur in loco quàm in illo operetur.

Resp. neg. min. & ad prob. dist. ant. prius est esse quàm operari in ratione entis conc. in ratione loci neg. quia nihil prohibet aliquid esse prius simpliciter, & posterius secundum aliam formalitatem; quia esse simpliciter consideratum est prius ipsâ operatione, & operatio in quantum Angelum constituit in loco, est prior in quantum dicit ordinem ad locum; quia omnis causa debet esse prior suo effectu saltem prioritate naturæ, & cum operatio sit causa formalis, quâ mediante Angelus est in loco, sic prius est prioritate naturæ Angelum operari circa aliquod corpus, quàm fieri illi præsens localiter. Illud docet S. Tho. & hanc Doctrinam fusius explicat Caietanus, qui docet in re locata tria esse. Primò est substantia quæ locatur. Secundò est quantitas, quæ est ratio formalis per quam substantia locatur. Tertiò est relatio præsentiæ, quæ sequitur ad substantiam & ad quantitatem; similiter in Angelo sunt illa tria. 1. Est substantia quæ constituitur in loco, & dicitur præsens loco ut quod. 2. Est contactus virtutis qui est præsens loco ut quo, quia non est illud quod constituitur in loco, sed illud per quod substantia est præsens in loco. 3. Denique est relatio præsentiæ quæ consurgit ex illis duobus, substantiâ scilicet & contactu virtutis: hæc tria secundum diversas formalitates considerata habent rationem

prioris & posterioris ; si enim considerentur ut sunt quædam entitates in rerum naturâ existentes , prior est substantia in Angelo quàm operatio , & prior est operatio quàm relatio ; si verò considerentur ut sunt rationes existendi in loco , prior est operatio quàm ipsa substantia Angeli.

Inst. Approximatio & applicatio agentis ad passum est conditio requisita ad operandum circa illud quod prius est; ergo prius est Angelum esse in loco quàm in illo operari.

Resp. 1. dist. ant. Approximatio & applicatio agentis ad passum est conditio requisita ad agendum sive ad producendum effectum conc. ad operandum neg. Quia operatio Angeli duo habet munera inadæquatè , scilicet conjungere agens subjecto , & secundò causare effectum in illo subjecto ; illa igitur secundum quod exercet primum munus , est prior se ipsâ, sed non secundum quod exercet aliud munus.

Resp. 2. dist. ant. Approximatio & applicatio agentis ad passum est conditio requisita ad agendum in rebus corporeis conc. in rebus incorporeis neg. Quia ideò approximatio & applicatio est conditio requisita ad operandum in rebus corporeis , quia agentia corporea agunt per virtutem substantialem in quantitate , & ita dependent à loco cui commensurantur ; agentia verò incorporea non habent virtutem substantialem in quantitate , unde non dependent à loco ; & ita approximatio agentis in passum non est conditio quæ debet necessariò antecedere operationem, sed

sufficit, quòd in eodem instanti concomitetur illam.

Obj. ultimò. Si Angelus esset in loco per operationem, sequeretur quòd in nullo esset loco, quando non operaretur: atqui illud non potest dici; ergo Angelus non est in loco per operationem. Prob. min. Quod habet esse finitum & limitatum debet esse in aliquo loco, quia non potest esse ubique: atqui Angelus habet esse finitum & limitatum; ergo non potest dici quòd Angelus non sit in loco.

Resp. dist. sequelam maj. Quando Angelus non operaretur non esset in aliquo loco positivè & proximè conc. negativè & fundamentaliter neg. Quia (ut inquit S. Thom.) *Non est inconveniens, quòd Angelus non sit in aliquo loco positivè circa quem nullam operationem efficiat*; Sicut non est inconveniens quòd substantia materialis expoliata quantitate non sit in aliquo loco positivè.

Dicendum est 2. Angelum constitui in loco violento per passionem.

Prob. Per illud Angeli constituuntur in loco violento per quod tangunt locum: atqui Angeli tangunt locum violentum per passionem; siquidem tangunt locum per illud per quod detinentur in ipso, detinentur autem in ipso per passionem quæ provenit ab alligatione, & illa alligatio procedit ab aliqua qualitate spirituali quæ producitur ab igne inferni elevato; ergo Angeli constituuntur in loco violento per passionem.

ART.



ARTICULUS VI.

Utrum unus Angelus possit transire de uno loco ad alium inpertransito medio.

NOtandum est, Angelum moveri localiter, quia moveri localiter est fieri præsens successivè in diversis locis; Angelus autem potest fieri successivè præsens per contactum suæ operationis; movetur verò Angelus localiter & motu continuo & motu discreto: motus autem continuus est ille qui fit, quando sine ulla interruptione Angelus applicat operationem suam in diversis locis; ita ut applicet illam ad unam partem primi loci, & deindè ad primam partem secundi loci, quia hoc est partim deserere terminum à quo, & partim acquirere terminum ad quem. Ille autem motus dicitur discretus quando Angelus applicat suam operationem diversis locis cum aliqua brevissima interruptione. Certum autem est, quòd quando Angelus movetur localiter motu continuo, debet transire per medium; quando ergo quæritur, utrum Angelus possit de loco in locum transire inpertransito medio, tota difficultas procedit de motu discreto.

Dicendum est, Angelum posse moveri

motu discreto ab uno extremo in aliud inpertransito medio.

Prob. Angelus est in loco per liberam applicationem suæ virtutis ad locum; ergo est illi liberum eam virtutem applicare tali loco adæquato, vel parti loci tantùm; v. g. in corpore tripalmari potest Angelus suam virtutem applicare primo & tertio, non verò palmo secundo sive medio; ergo Angelus potest moveri de uno extremo in aliud inpertransito medio.

Obji. 1. Anima rationalis non potest informare & caput & pedes, nisi informet intermedia; ergo Angelus non potest transire de loco in locum nisi transeat per medium. Prob. conseq. sicut anima se habet in informando corpus, ita se habet Angelus in agendo & movendo se in loco; ergo si anima non possit informare caput & pedes relicto intermedio, Angelus non potest transire de loco in locum inpertransito medio.

Resp. neg. conseq. ad cujus prob. dist. ant. Sicut se habet anima rationalis in informando corpus, ita se habet Angelus in agendo & movendo se in loco secundum quid & inadæquate conc. simpliciter & absolutè neg. Quia anima rationalis & Angelus in hoc conveniunt, quòd sicuti anima rationalis est in corpore modo indivisibili, ita ut sit tota in toto, & tota in quâlibet parte totius, eodem modo Angelus est in loco modo indivisibili, ita ut sit totus in toto loco, & totus in quâlibet parte loci; sed anima rationalis & Angelus differunt in hoc, quòd anima rationalis (cum sit forma corporis) dependet à quibus-

dam conditionibus, inter quas præcipua est continuatio & colligatio partium; Angelus autem non dependet à conditionibus loci, cum sit in illo per liberam suæ operationis applicationem.

Obj. 2. Angelus non potest invertere ordinem partibus hujus universi præfixum: atqui talem ordinem inverteret, si transiret de loco in locum inpertransito medio; ergo Angelus non potest transire de loco in locum inpertransito medio. Prob. min. Ordo hujus universi partibus præfixus est ordo consistens in hoc, quòd nulla creatura possit rem inferiorem attingere sine priori: atqui Angelus rem inferiorem sine priori attingeret; ergo si Angelus moveretur de loco in locum inpertransito medio, inverteret ordinem partibus hujus universi præfixum.

Resp. neg. min. & maj. Quia ordo partibus hujus universi præfixus non consistit in ordine situali, sed in hoc quod suus cuique extremo tribuatur locus, quòd ignis superiorem locum obtineat & existat juxta concavum Lunæ, quòd aër sequatur, quòd aqua aëri succedat, & quòd terra denique unum locum obtineat; quem ordinem Angelus non potest invertere.

Obji. 3. Angelus non potest transire de tempore præterito ad futurum quin transeat per præsens; ergo Angelus non potest moveri de loco in locum inpertransito medio.

Resp. neg. conseq. & parit. Quia Angelus utpotè finitus in duratione non potest coëxistere illi parti temporis quæ nondum est; hoc

enim solùm æternitati convenit: cum verò partes loci sint simul existentes, potest transire de unâ parte ad aliam, quin per medium transeat.

Obji. 4. Si Angelus moveretur de loco in in locum inpertransito medio, sequeretur, quòd lapis posset etiam moveri de loco in locum inpertransito medio: atqui lapis non potest moveri de loco in locum inpertransito medio: ergo nec Angelus. Prob. sequela maj. Angelus se movens motu discreto de loco in locum inpertransito medio potest deferre lapidem: atqui tunc ille lapis moveretur de loco in locum inpertransito medio: ergo si Angelus moveretur de loco in locum inpertransito medio, lapis etiam moveretur eodem modo.

Resp. neg. sequelam maj. ad cujus prob. neg. maj. Quia quando Angelus defert lapidem non potest moveri motu discreto; debet enim se accommodare ad exigentiam lapidis, lapis autem exigit esse in loco per commensurationem, quod Angelus non potest auferre à lapide: & ita Angelus deferens lapidem, debet moveri motu continuo.

Obji. ultimò. In quolibet motu debet dari movens antè motum esse: atqui in termino à quo mobile non intelligitur moveri sed quiescere, & in termino ad quem mobile est motum: ergo debet dari medium in quo intelligatur moveri, & proindè potest transire de uno extremo ad aliud, quin transeat per medium.

Resp. dist. maj. In quolibet motu continuo debet dari moveri antè motum esse conc. in

quolibet motu discreto neg. Quia in motu discreto terminus ad quem non est terminus motus, sed pars componens ipsum motum: siquidem motus discretus componitur ex duplici instanti cui respondet duplex operatio, in quarum unâ desinit esse in unâ parte loci, & in alterâ acquirit alteram partem loci.



ARTICULUS VII.

Vtrum Angeli formaliter discurrant.

DIcendum est, in Angelis non dari formaliter discursum.

Prob. Ubi non sunt cognitiones distinctæ realiter, quarum una causetur ab aliâ, ibi non est discursus formaliter & propriè dictus: atqui in Angelis non dantur tales cognitiones; ergo in Angelis non datur discursus propriè & formaliter dictus. Maj. patet, quia discursus formalis importat duo. 1. actus formaliter distinctos. 2. causalitatem Logicalem & illationis inter illos duos actus: ita ut prior causet posteriorem, sive ut ex uno cognito prius deveniatur ad cognitionem posterioris. Prob. min. Intellectus Angelicus cognitis præmissis cognoscit conclusionem uno intuitu: ergo in Angelis non dantur plures cognitiones distinctæ quarum una causetur ab aliâ. Prob. ant. Ideò homo cognitis præmissis non cognoscit conclusionem, quia

habet imperfectum & debile lumen : ergo cum Angelus habeat fortius & perfectius lumen, cognitis præmissis potest cognoscere conclusionem.

Obji. 1. Discurrere formaliter est cognoscere unum per aliud : atqui intellectus Angelicus cognoscit unum per aliud : ergo discurrit formaliter. Prob. min. Intellectus Angelicus cognoscit creaturas per verbum ; ergo cognoscit unum per aliud.

Resp. dist. maj. Discurrere formaliter est cognoscere unũ per aliud per cognitiones formaliter distinctas conc. per unicam cognitionem neg. Similiter distinguendum est ant. Angelus cognoscit creaturas per verbum per unicam cognitionem conc. per cognitiones realiter distinctas neg. Quia ad rationem veri discursus non sufficit ut unum per aliud cognoscatur : sed etiam requiritur, ut sint cognitiones distinctæ quæ non sunt in Angelis : siquidem cognoscendo verbum simul per eandem cognitionem cognoscunt creaturas, & ita illa cognitio non est discursiva.

Obj. 2. Angelus cognitis præmissis propter libertatem suam, potest ibi sistere, & non cognoscere conclusionem, & post talem interruptionem cognoscere conclusionem productam ab illis præmissis : atqui tunc ibi essent duæ cognitiones, quarum una causaretur ab alia : ergo in illo casu Angelus discurreret formaliter. Maj. est evidens, quia (ut docent Thomistæ) unus Angelus potest uti inadæquatè qualibet suâ specie ad unum objectum inadæquatè cognoscendum : & ita potest uti illa specie repræsentante principium, non

autem conclusionem.

Resp. neg. min. Quia posito quòd Angelus cognito principio ibi sistat utendo eâdem specie non deducit cognitionem ex aliâ, sed illâ omissâ elicit cognitionem quæ simul tendit ad principia & ad conclusionem; quia per suam libertatem Angelus non potest invertere suum naturalem operandi modum: sed modus cognoscendi naturalis Angeli est modus cognoscendi principia & conclusionem sine illatione unius ex alio propter perfectionem naturæ intellectualis; ergo Angelus non potest inferre unum ex alio, & proindè non potest formaliter discurrere.

Obj. 3. Voluntas Angeli duplici actu fertur in finem & in media: ergo Angelus duplici actu potest cognoscere conclusiones & principia.

Resp. neg. conseq. & parit. Quia cognitio fit, quando res cognita est in intellectu cognoscente; cum autem intellectus Angeli habeat omnia intelligibilia, ideò uno actu cognoscit præmissas & conclusionem. Quia verò volitio fit quando voluntas fertur ad objecta appetibilia, quorum unum est appetibile per aliud, duplici actu potest appetere finem & media.

Obj. ultimò. In Angelis datur consilium, datur quoque admiratio, datur denique in Angelis scientia propriè dicta: sed consilium, admiratio, & scientia denotant discursum; ergo in Angelis est discursus.

Resp. 1. neg. min. Quantum ad primam partem; quia consilium solùm per accidens & propter imperfectionem intellectûs requi-

rit discursum.

Resp. 2. neg. eandem min. Quantum ad secundam partem; quia in Angelis est admiratio quantum ad hoc quod dicit cognitionem rei occultæ, non autem quantum ad comparationem ejusdem rei ad ejus causam occultam, & quantum ad desiderium cognoscendi causam; quæ duo important discursum.

Resp. 3. dist. eandem min. prop. quantum ad tertiam partem. Scientia requirit discursum formalem vel virtualem conc. semper formalem neg. Quia omnis scientia non requirit discursum formalem; siquidem scientia Dei est vera scientia, nec tamen est formaliter discursiva, quia principia & conclusionem diversis cognitionibus non attingit; ita Angelus cum cognoscit principia & conclusiones, non est discursus formalis sed virtualis, quia est unicus actus æquivalens pluribus.



ARTICULUS ULTIMUS.

Quomodo unus Angelus loquatur alteri.

Notandum est, certum esse, unum Angelum loqui alteri Angelo (ut patet ex Scriptura sacra) dicitur enim *Seraphin clamabant alter ad alterum:* sed quomodò fiat illa locutio maxima est difficultas. Quidam do-

cent, Angelum loquentem producere in intellectu audientis notitiam actualem sui conceptus, sive speciem repræsentativam sui conceptus. Alii verò docent, locutionem Angelicam consistere in formatione quorundam signorum, quibus conceptus loquentis manifestantur audienti; illa verò signa juxta quorundam explicationem consistunt in quibusdam figuris seu caracteribus in cœlo exaratis, sicut nos in carta literas edimus, ut inter nos animi motus manifestemus; alii verò docent, illa signa sensibilia esse sonos sensibiles efformatos; alii denique asserunt illa signa esse tantùm aliquasqualitates spirituales significantes conceptus: opinio verò Thomistarum est, Angelum loqui alteri Angelo ordinando suum conceptum illi cui loquitur.

Dicendum est. 1. Angelum non loqui alteri Angelo communicando speciem sui conceptus.

Prob. Si Angelus loquens alteri Angelo in illo produceret notitiam actualem & speciem sui conceptus, sequeretur, quòd unus Angelus non posset loqui alteri Angelo ad quamcunque distantiam: atqui unus Angelus potest loqui alteri Angelo ad quamcunque distantiam (juxta Doctrinam S. Tho.) ergo unus Angelus loquens alteri Angelo non potest producere notitiam actualem & speciem sui conceptus. Prob. sequela maj. Angelus non potest agere Physicè nisi ad distantiam limitatam: ergo si unus Angelus loquens alteri Angelo produceret in illo notitiam actualem, non posset illi loqui ad quamcunque distantiam. Prob. ant. Quod habet virtutem fini-

tam & limitatam non potest agere Physicè nisi ad distantiam limitatam : atqui Angelus habet virtutem finitam & limitatam :-ergo non potest agere Physicè nisi ad distantiam limitatam.

Dicendum est 2. Locutiones Angelorum non posse fieri per aliqua signa.


Prob. Illa signa, vel essent caracteres cœlo impressi, vel soni sensibiles, vel qualitates spirituales : neutrum dici potest ; ergo nullum. Prob. min. Quoad omnes partes. 1. Si illa signa essent caracteres cœlo impressi, sequeretur, quòd potius Angeli scribentes quàm loquentes dicerentur : atqui illud est absurdum ; ergo illa signa non possunt esse caracteres cœlo impressi. 2. Non possunt esse soni sensibiles ab ipsis in corporibus assumpti efformati, quia sequeretur ; quòd quoties loquerentur Angeli, deberent assumere corpora : atqui illud non est necesse; ergo locutio Angelorum non potest esse sonus sensibilis ab ipsis in corporibus assumptis efformatus. Prob. min. Semper esset inter Angelos manifestatio conceptuum ; etiamsi nulla essent corpora : ergo non est necesse, ut quoties loquuntur Angeli, assumant corpora. Prob. ant. Semper esset inter Angelos amicitia & vitæ societas : ergo semper Angeli inter se loquerentur, licet nulla essent corpora. 3. Si illa signa essent spiritualia, sequeretur, quòd unus Angelus non posset loqui alteri Angelo, quin simul loqueretur & omnibus: atqui illud non potest dici, quia debet secretum admitti in locutione Angelica : ergo illa signa non possunt dici spiritualia. Prob. se-

quela maj. Illa signa essent naturalia vel ad placitum; si essent naturalia, essent omnibus manifesta, si essent verò ad placitum, significarent impositionem ab Angelis factam, & ita illorum signorum significata cognoscerent omnes Angeli: ergo si illa signa essent spiritualia, unus Angelus non posset loqui alteri Angelo, quin simul loqueretur & omnibus.

Dicendum est ultimò, locutionem Angelorum consistere in solâ ordinatione conceptuum per voluntatem Angeli loquentis ad illum cui loquitur.

Prob. Ratione S. Tho. 1. p. q. 17. art. 1. *Loqui alteri est illi manifestare suæ mentis conceptum:* atqui unus Angelus manifestat suæ mentis conceptum alteri Angelo, quando illum voluntariè dirigit & ordinat ad alium: ergo locutio Angeli consistit in ordinatione conceptuum. Prob. min. Ut conceptus unius Angeli manifestetur alteri, sufficit, ut ab illo possit cognosci; quia quilibet Angelus habet suas species sibi inditas ut possit cognoscere quidquid ab illo est cognoscibile: atqui quando unus Angelus ordinat alteri suum conceptum, tunc ab illô potest cognosci: ergo per talem ordinationem conceptus manifestatur alteri.





QUÆSTIO V.

De Ente Divino.

CUM cognitio Dei pertineat ad Metaphysicam, quædam de ente divino quærentur in ista Quæstione.



ARTICULUS I.

An detur Deus unus.

DIcendum est lumine naturali notum esse, quod Deus est.

Prob. Ratione S. Tho. 1. part. quæst. 2. art. 3. Videmus quod aliqua quæ cognitione carent, scilicet corpora naturalia, operantur propter finem, quod apparet ex hoc quod semper aut frequentius eodem modo operantur: unde patet quod non à casu, sed ex intentione perveniunt ad finem. Ea autem quæ non habent cognitionem, non tendunt in finem nisi directa ab aliquo cognoscente & intelligente, sicut sagitta à sagittante: ergo est aliquis intelligens, à quo omnes res naturales ordinantur ad finem, illa autem intelligens non potest

test esse nisi Deus; ergo lumine naturali notum est quod Deus est.

Dicendum est 2. & ult. Deum unum dari.

Prob. Ratione S. Tho. Deus in se continet omnem perfectionem: atqui si darentur plures Dii, quilibet ex illis non contineret omnem perfectionem: ergo datur tantum unus Deus. Prob. min. Quilibet haberet unam perfectionem quam alter non haberet: ergo si darentur plures Dii, quilibet non haberet omnes perfectiones. Prob. ant. Illi Dii deberent differre per aliquam perfectionem; ergo si darentur plures Dii, quilibet in ipsis haberet aliquam perfectionem quam alter non haberet.



ARTICULUS II.

An illa propositio, Deus est, sit per se nota, & à nobis demonstrabilis.

Notandum est 1. Propositionem dici per se notam cujus veritas est tam clara, ut cognitis terminis objectivis propositionis, res ipsa cognoscatur: ideò duo requiruntur ad propositionem per se notam. 1. Ut cognitis terminis objectivis propositionis, veritas illius cognoscatur. 2. Ut nullum detur medium per quod deveniamus ad illius cog-

nitionem; & sic propositio per se nota vocatur ab Aristotele, propositio vacans medio.

Notandum est 2. Hanc propositionem esse duplicem. 1. Est propositio per se nota secundum se, cujus scilicet prædicatum est de essentia subjecti: sed illa essentia nobis est ignota, nec potest manifestari nisi per discursum; & ita licet careat medio rei habet medium cognitionis quo cognoscatur essentia quæ à nobis est ignota. Alia verò est propositio per se nota secundum se & secundum nos, cujus scilicet prædicatum est de essentia subjecti, & adæquatè ex sola apprehensione terminorum cognoscitur; ita ut nullus possit de ea contrarium asserere, qualis est illa propositio, totum est majus sua parte.

Dicendum est 1. Hanc propositionem, Deus est, esse per se notam secundum se, non verò secundum nos.

Prob. concl. quoad 1. part. Illa propositio est per se nota secundum se, cujus prædicatum est de essentia subjecti: atqui prædicatum hujus propositionis sic se habet: cum enim Deus sit Deus per essentiam & actus purus, existentia est de conceptu quidditativo illius; ergo illa propositio, Deus est, est per se nota secundum se.

Prob. concl. quoad 2. part. Ut propositio sit nota secundum se & secundum nos, duo requiruntur. 1. Ut propositionis veritas cognoscatur ex sola apprehensione terminorum. 2. Ut careat omni medio tam rei quam cognitionis: atqui illa duo non reperiuntur in ista propositione, Deus est; ergo illa propositio non est per se nota secundum nos. Prob.

min. Quoad omnes partes. 1. Veritas illius propositionis non cognoscitur ex sola apprehensione terminorum, si nonnulli oppositum tenent: atqui sunt qui oppositum tenent, ut exprimitur in Psalmis. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus*; ergo veritas illius propositionis non cognoscitur ex sola apprehensione terminorum. 2. Illa propositio non caret omni medio; cognoscitur enim per creaturas Deum esse, juxta illud Apostoli, *Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur*; ergo in illa propositione, Deus est, duo necessaria ad propositionem per se notam non reperiuntur.

Obj. 1. Illa propositio est per se nota secundum nos quæ cognoscitur ex sola apprehensione terminorum: atqui ista propositio, Deus est, cognoscitur ex sola apprehensione terminorum; ergo est per se nota secundum nos. Prob. min. Ista propositio, Deus est colendus, est propositio per se nota, cum cognoscatur ex sola apprehensione; ergo & ista propositio, Deus est, est per se nota secundum nos. Prob. conseq. Principia practica præsupponunt speculativa necessario sibi proportionata, cognoscibilia eodem genere cognitionis quo practica sunt cognoscibilia: sed ista propositio, Deus est colendus, est principium practicum per se notum quo ad nos, quia ex sola apprehensione terminorum cognoscitur, & principium speculativum ei correspondens est ista propositio, Deus est; ergo illa propositio, Deus est, est per se nota quoad nos.

Resp. 1. neg. min. & conseq. ad quarum

prob. neg. maj. Quoad illam partem, scilicet principia practica supponunt speculativa cognita ejusdem generis; quia licet principia practica præsupponant semper principia speculativa, & licet utraque debeant esse practica, non tamen eâdem cognitione; & ita cum principia practica sint cognita secundum se & secundum nos, sufficit ut principia speculativa sint nota per se.

Resp. 2. Quod non est verum quòd ista propositio, Deus est colendus, sit per se nota quoad nos; quia licet veritas illius propositionis practicè cognoscatur ex nuda & simplici notitia terminorum, non tamen caret omni medio: multæ enim rationes naturales & Theologiæ assignantur quibus moralis Philosophus & Theologus ostendunt veritatem illius propositionis practicæ.

Obj. ult. ex Doctr. S. Tho. puer perveniens ad usum rationis tenetur pro primo instanti moraliter se convertere ad Deum, sed illud non potest, nisi cognoscat, & tunc non potest cognoscere per discursum, quia ille modus cognoscendi non potest acquiri nisi per studium; ergo puer cognoscit Deum sine discursu, & proinde illa propositio, Deus est, est per se nota quoad nos.

Resp. dist. maj. Tenetur se convertere ad Deum, & confusè & in alio cognitum, con. distinctè & particularè, neg. Quia ut se convertat ad Deum, sufficit ut cognoscat ipsum confusè, & ut auctorem hujus admirabilis & ordinis gubernationis universis.

Dicendum est ult. Hanc propositionem, Deus est, esse demonstrabilem à posteriori per

effectus ab ipso productos.

Prob. Existentia alicujus causæ efficientis demonstratur à posteriori per certam, necessariam, & evidentem connexionem effectuum cum illa: sed omnes res creatæ sunt veri effectus Dei habentes certam & necessariam connexionem cum Deo, quatenus posita illorum existentia necessariò dependent tam in suo fieri, quam in suo conservari, ab aliqua prima causa quæ est Deus; & illa necessaria connexio cujuslibet rei creatæ cum prima causa, est naturaliter certa & evidens, quia solo lumine naturali cognoscimus certè & evidenter quamlibet rem creatam esse aliquid actualiter dependens à causa prima. Dependentia autem actualis potest tantum esse ab eo quod est actu; ergo existentia Dei potest demonstrari à posteriori ex rebus creatis, tanquam veris effectibus ipsius Dei.

Obj. 1. Omnis demonstratio debet constare medio necessario: atqui creaturæ non possunt esse medium necessarium demonstrationis, cùm creaturæ sint contingentes: siquidem possunt esse & non esse; ergo non potest demonstrari ex creaturis Deum esse.

Resp. dist. min. Creaturæ sunt contingentes secundum existentiam, conc. secundum dependentiam quam dicunt à Deo, neg. quia licet existentia creaturarum sit illis contingens, dependentia tamen quam dicunt res existentes creatæ à Deo est creaturis essentialis; quia omne ens dependet essentialiter à primo ente. Quando verò nunc dicimus existentiam Dei posse demonstrari ex creaturis & effectibus, medium talis demonstrationis



ARTICULUS III.

An posit invincibiliter ignorari Deum esse.

NOtandum est duplicem esse ignorantiam, invincibilem scilicet & vincibilem. Ignorantia invincibilis est illa quæ nullo medio & diligentia potest superari. Ignorantia verò vincibilis est illa quæ adhibita morali diligentia vinci potest. Illa ignorantia censetur voluntaria saltem indirectè,& proinde culpabilis , juxta illud Prophetæ, *Noluit intelligere ut benè ageret*; prima verò ignorantia est involuntaria , & proinde excusat à peccato.

Dicendum est 1. Non posse dari ignorantiam invincibilem etiam apud homines Barbaros de existentia Dei.

Prob. 1. auth. Scripturæ & SS. PP. illud non potest invincibiliter ignorari cujus notitia est nobis à natura insita : atqui notitia de existentia Dei nobis est à natura insita , ut dicitur in Psalmis ; *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Idem dicitur apud Job. *Et interroga jumenta & docebunt te ; volatalia cæli indicabunt tibi ; loquere terræ & respondebit tibi ; & narrabunt pisces maris quis ignorat quod hæc omnia manus Dei fecerit :* illud etiam docent Sancti Patres ; siquidem Sanctus Gregorius dicit, *quod omnis homo eo*

ipso quo rationalis est conditus, debet ex ratione colligere, eum qui se condidit Deum esse. Divus Damascenus lib. 1. Orthodoxæ fidei cap. 1. *Notitia Dei omnibus à natura est insita, neque id aliquis ratione carens potest ignorare.* Tertulianus denique dicit. *Quod anima rationalis simplex rudis & impolita, non à Philosophia, non à literis & scriptis, sed à natura magistra didicit Deum esse.* Illis omnibus Sanctorum Patrum authoritatibus possent addi plurimæ Philosophorum Gentilium authoritate, sed pluribus omissis, placet tantum Plutarchi testimonium afferre. Peregrinantibus, inquit, multis contigit occurrere absque mœnibus urbes, absque studiis literarum, absque regibus, absque auri & argenti usu quibus ignota prorsus Theatra, & Gymnasticæ omnes exercitationes; quin etiam quibus nullæ sint domus; nunquam autem stat urbs aut oppidum quibus nullus sit Deus, nulla juramenta, nullæ preces, nulla sacrificia ad bona curanda & mala impendentia revertenda, nemo umquam talem urbem vidit, nec videre potuit; potiusque sine sole aut religione urbem quis conspexit.

Prob. 2. Ratione: Si posset ignorari invincibiliter Deum esse, in idololatria non esset peccatum: atqui non potest dici quod in idololatria non sit peccatum; ergo non potest invincibiliter ignorari Deum esse. Probat. sequ. maj. Ibi non est peccatum ubi nihil fit contra rectam rationem: atqui in idololatria nihil fieret contra rectam rationem, si posset invincibiliter ignorari Deum esse. Qui verò invincibiliter ignoraret Deum esse, posset

adorare falsum Deum inculpabiliter ; ergo in idololatria non esset peccatum.

Obj. 1. Possunt dari infideles negativè qui inculpabiliter ignorent Mysteria nostræ Fidei, ut docet Sanctus Thom. secunda secundæ, quæst. 1. art. 1. Ergo possunt dari Athæi negativè qui invincibiliter & inculpabiliter existentiam Dei ignorent.

Resp. neg. cons. & parit. Ratio disparitatis est, quia infideles negativè sunt illi, qui habent omnem fidei negationem ; siquidem infideles positivè sunt illi qui repugnant auditui fidei, vel qui contemnunt illam. Infideles autem negativè inculpabiliter ignorant Mysteria Fidei, quia non possunt vitare infidelitatem. Non enim potest vitari infidelitas nisi per fidem. Fides autem non potest haberi ab illis nisi aliquem de fide prædicantem audiant, juxta illud Apostoli ad Romanos. Quomodo crepent ei quem non audierunt ; quomodo autem audient sine prædicante. Cum autem in illorum potestate non sit aliquem audire prædicantem de fide, quia nullus de fide prædicans ad illas remotissimas regiones quas illi infideles incolunt mittitur ; ideo inculpabiliter ignorant Mysteria Fidei : undę inquit Sanctus Thom. in eodem Artic. infideles illi damnantur propter alia peccata quæ sine fide remitti non possunt. Non autem damnantur propter peccatum infidelitatis, sed non ita dicendum de Athæis ; siquidem in illorum potestate est expellendi ignorantiam, quia Solo lumine naturali quo omnes sunt præditi possunt ex existentia creaturarum cognoscere existen-

tiam Dei. Ideò docet Sanctus Augustinus quòd pauci fuerunt Athæi. Et Tertulianus lib. de Spectaculis 1. cap. docet quod nullus verè fuit Athæus. Nemo, inquit, ignorat quod ultro natura suggerit Deum esse universitatis conditorem.

Obji. 2. Existentia Dei non est per se nota quoad nos, sed cognoscitur per discursum: atqui multi sunt agrestes qui non possunt formare discursum; ergo illi possunt invincibiliter ignorare Deum esse.

Resp. dist. min. Non possunt formare sillogismum demonstrativum & syllogisticum con. probabilem & connaturalem neg. Quia sicuti nullus est adeo agrestis qui viso fumo non conjiciat esse ignem; ita nullus est quantumvis Barbarus & agrestis qui videns hujus universi ordinem & ornatum non conjiciat dari supremum conditorem & gubernatorem universi. Et licet dicatur aliquos esse qui nullum colunt Deum, non inde tamen inferendum est, Deum non existere, sed sibi illud conantur persuadere ut sine ullo stimulo conscientiæ possint illicitis frui.



ARTICULUS IV.

Quænam sit ratio formalis constitutiva naturæ divinæ.

Notandum est 1. Quod ibi non agitur de constitutivo Physico naturæ divinæ: hoc est de constitutione Dei secundum

quod est in se realiter, quia ita omnes formalitates tam absolutæ quam relativæ ipsum constituunt, sed tantùm ibi agitur de constitutivo Metaphysico, prout à nobis Viatoribus imperfectè concipitur, hoc est, quænam sit formalitas quæ sit quasi origo & principium attributorum & operationum.

Notandum est 2. Triplicem esse gradum quo omnes naturæ constituuntur. Primus est gradus entis qui convenit omni naturæ absolutè. Secundus est gradus vitæ qui convenit omni naturæ animatæ. Tertius est gradus intellectivus qui convenit naturæ humanæ, Angelicæ & divinæ. Quæritur ergo ibi per quem gradum constituatur natura divina.

Notandum est 3. & ult. Quòd circa illam quæstionem triplex est sententia. Quidam docent naturam divinam Metaphysicè constitui per rationem entis à se & per essentiam. Quidam per rationem substantiæ immortalis & intellectualis radicalem. Nonnulli verò docent rationem formalem constitutivam naturæ divinæ consistere in actuali Dei intellectione.

Dicendum est 1. Naturam divinam non constitui per rationem entis à se.

Prob. Per illud constituitur natura divina per quod distinguitur ab attributis, non verò per illud per quod distinguitur à creaturis: atqui natura divina non potest distingui ab attributis per rationem entis à se; ergo natura divina non potest constitui per rationem entis à se. Prob. min. Ratio entis à se & per essentiam transcendit omnes perfectiones, quia invenitur in omnibus; ergo non potest

facere distinctionem, cum natura divina non per hoc distinguatur ab attributis, nam secundũ illã rationẽ conveniant attributa & natura divinâ. Præterea natura divina constituitur per ipsum intelligere; ergo non constituitur per rationem entis à se. Prob. ant. Per illud constituitur natura divina quod respicit prima Trinitatis persona ex vi hujus processionis: atqui prima Trinitatis persona respicit ipsum intelligere, quia procedit per modum Verbi; & esse Verbi cum sit terminus intellectionis, nihil aliud est quam intelligi, seu existere per intelligere; ergo natura divina constituitur per ipsum intelligere, non quidem radicale, sed per ipsum intelligere actuale, ut infra probabitur.

Obj. 1. Illud est ratio formalis constitutiva naturæ divinæ quod primò concipitur in Deo: atqui entis ratio concipitur primò in Deo, quia prius est Deum esse ens, quàm Deum esse ens intelligens; ergo natura divina constituitur per rationem entis.

Resp. dist. maj. Si illud quod primò concipitur non sit transcendens seu prædicatum commune, conc. si sit transcendens, neg. Quia ad rationem constitutivi non sufficit ut primò concipiatur, quia gradus substantiæ vel viventis primò concipiuntur in homine, & tamen non constituunt hominem. Quæritur ergo ut illud quod primò concipitur non sit transcendens, & proinde ratio entis licet primò in Deo concipiatur, non potest constituere Deum, quia est transcendens ens; siquidem reperitur in omnibus formalitatibus quæ sunt in Deo.

Obj.

Obj. 2. Illud est ratio constitutiva formalis naturæ divinæ per quod natura divina distinguitur ab aliis: atqui natura divina distinguitur ab aliis per rationem entis; siquidem Deus est ens à se, creaturæ verò sunt entia ab alio; ergo ratio entis à se est ratio formalis constitutiva naturæ divinæ.

Resp. dist. maj. Illud est ratio formalis constitutiva naturæ divinæ per quod natura divina distinguitur ab aliis, hoc est, attributis, conc. hoc est à creaturis, neg. Similiter distinguenda est min. prop. per rationem entis natura divina distinguitur ab aliis hoc est à creaturis, conc. hoc est ab attributis, neg. Quia licet ratio entis distinguat Deum à creaturis, non tamen distinguit essentiam ab attributis, & proinde non constituit naturam divinam; siquidem sicut dupliciter constitui potest. 1. Quatenus est ens creatum, & sub hac ratione constituitur per rationem entis ab alio & participati. 2. Formaliter, & quatenus est homo, & sub hac ratione constituitur per rationalitatem per quam distinguitur ab aliis animalibus, & quæ est radix risibilitatis, virtutis admirativæ, & aliarum naturæ divinæ proprietatum: ita formaliter natura divina potest duobus modis considerari. 1. Quatenus est ens increatum à creaturis distinctum, & sub hac ratione natura divina constituitur per rationem entis à se. 2. Potest considerari formaliter quatenus est natura & radix divinorum attributorum; & ita considerata non constituitur per intelligere actuale, ut infra probabitur.

Obj. 3. & ult. Illud est constitutivum na-

turæ divinæ quod Deus declarans naturam ſuam expreſſit in Scriptura Sacra: atqui Deus declarans naturam ſuam expreſſit rationem entis à ſe; Deus enim interrogatus à Moyſe declaravit naturæ ſuæ conſtitutivum his verbis, *Ego ſum qui ſum*; Ergo ratio entis à ſe eſt ratio formalis conſtitutiva naturæ divinæ.

Reſp. ad min. Quod Deus his verbis voluit tantùm dicere illud per quod differt à creaturis, non verò illud per quod natura differt ab attributis; & proinde ratio entis à ſe, non eſt ratio formalis conſtitutiva naturæ divinæ.

Dicendum eſt. 2. Naturam divinam non conſtitui per intelligere radicale.

Prob. natura divina cum ſit actus purus & omnis potentialitatis expers conſtitui debet modo puriſſimo & actualiſſimo & remoto ab omni potentialitate & defectu; ergo non poteſt conſtitui per intelligere radicale. Prob conſeq. intelligere radicale non eſt remotum à potentialitate, & illud per quod natura divina conſtituitur debet eſſe remotum à potentialitate; ergo natura divina non poteſt conſtitui per intelligere radicale. Prob. maj. quod eſt in potentia ad actu intelligendum & concipitur per modum actus primi non eſt remotum à potentialitate: atqui intelligere radicale eſt in potentia ad actu intelligendum & concipitur per modum actus primi; ſiquidem radicale intelligere nihil aliud eſt quàm principium intellectionis; ergo intelligere radicale non eſt remotum à potentialitate.

Obji. 1. Natura humana & Angelica

constituuntur per intelligere radicale: dicitur etiam quod verba in definitionibus posita non dicunt actum sed aptitudinem; ergo à pari natura divina constituitur per intelligere radicale.

Resp. neg. conseq. & paritat. Quia ideo natura humana & Angelica possunt constitui per intelligere radicale, quia quælibet natura est potentialis: cum autem natura divina sit actus purissimus excludens omnem omninò potentialitatem constituitur per intelligere actualissimum. Quandò verò dicitur quod verba in definitionibus posita non dicunt actum sed aptitudinem, illa verba debent intelligi quando actus non est de essentia; & ita quia actus est de essentia Dei, intelligere actuale & non radicale est ratio formalis constitutiva rei.

Obji. 2. & ult. Per illud constituitur formaliter natura divina quod participatur à gratia sanctificante, quia gratia est participatio formalis naturæ divinæ: sed gratia cum sit habitus supernaturalis separabilis ab actu participat tantùm intellectualitatem radicalem, non verò ipsum intelligere actuale, quod solum participatur à visione beata per quam beati constituuntur in actu intelligentes & videntes divinam essentiam; ergo natura divina non constituitur formaliter per intelligere actuale.

Resp. dist min. Gratia non participiat intelligere actuale divinum adæquatè, con. inadæquatè, neg. quia intelligere divinum diversa munera gerit: siquidem. 1. Gerit vices virtutis intellectivæ. 2. Suplet ratio-

nem operationis & cognitionis qua Deus beatificatur. 3. Habet rationem naturæ; ita secundum diversa illa munera quæ obit, diversimodè potest participari à creaturis, siquidem ut gerit vices virtutis intellectivæ participatur à lumine gloriæ. Ut supplet rationem operationis & cognitionis qua Deus beatificatur, participatur per visionem beatam. Ut verò habet rationem naturæ, participatur per gratiam sanctificantem; cum enim propria ratio & naturæ conceptus consistat in hoc, quod est principium motus & quietis & proinde radix potentiarum & proprietatum quæ sunt principia operationis: ad hoc ut aliquid participet naturam divinam ut natura est, debet participare intelligere divinum sub ea ratione sub qua est radix proprietatum & attributorum. Illo autem modo participatur tantùm à gratia sanctificante, non verò à lumine gloriæ & à visione beatifica, quia sola gratia sanctificans est radix & principium à quo fluunt & emanant virtutes supernaturales & infusæ quæ sunt participationes divinorum attributorum.

Dicendum est 3. & ult. essentiam divinam constitui per ipsum intelligere quatenus est ultima actualitas,cõpleta, & per se subsistens.

Prop.natura divina est omnium perfectissima à qua excluditur omnis potentialitas & defectus; ergo debet constitui per gradum omnium perfectissimum: atqui gradus intellectivus est omnium perfectissimus: ergo natura divina constituitur per illum gradũ:intelligere autem quatenus est actio emanans ab aliquo principio non potest constituere natu-

ram divinam, quia primò non concipitur in Deo; siquidem intelligere ut est operatio præsuponit aliquod prius secundum nostrum concipiendi modum; ergo intelligere actuale completum & per se subsistens est ratio formalis constitutiva naturæ divinæ.

Obji. 1. Quod est ratio formalis constitutiva alicujus rei debet esse causa proprietatum quæ sunt in ipsa re: atqui intelligere actuale non est causa omnium quæ sunt in Deo; ergo intelligere actuale non est ratio formalis constitutiva naturæ divinæ. Prob. min. multa sunt attributa quæ non emanant ab intelligere actuali, v. g. infinitas, æternitas: siquidem Deus ideo est æternus & infinitus quia est intelligens; ergo omnia quæ sunt in Deo non proveniunt ab intelligere actuali.

Resp. dist. maj. illud quod est ratio formalis constitutiva alicujus rei debet esse causa vel immediata vel mediata omnium proprietatum quæ sunt in ipsa re, con. debet esse causa immediata tantum, neg. & ita distinguendum est ant. multa sunt attributa in Deo quæ non proveniunt ab intelligere actuali immediatè, con. mediatè, neg. quia sunt proprietates aliæ quæ sequuntur rationem genericam, aliæ quæ sequuntur rationem specificam, ut videre est in nobis & brutis; quia sunt proprietates quæ nobis & brutis sunt communes quæ sequuntur rationem animalis, ut corruptibilitas. Aliæ verò sunt proprietates quæ nobis tantùm conveniunt, ut risibilitas &c. & illæ proprietates proveniunt à forma specifica immediatè, aliæ verò mediatè: ita in Deo sunt quædam attribu-

ta ut omnipotentia, infinitas, æternitas, quæ consequuntur ad rationem quasi genericam Dei, Deus enim est infinitus & æternus quia est ens increatum. Aliæ vero sunt attributa quæ consequuntur ad rationem quasi specificam Dei, ut sunt scientia, sapientia &c. Ita dicendum quod proprietates quæ consequuntur ad rationem specificam, proveniunt immediatè ab essentia & differentia constitutiva rei. Illæ verò proprietates quæ consequantur ad rationem genericam, profluunt tantùm à differentia constitutiva rei.

Obji. 2. Quod constituit aliquid, nihil prius præsupponit, etiam secundum rationem, & secundum nostrum concipiendi modum: sed intelligere secundum nostrum concipiendi modum præsupponit aliquid prius; ergo natura divina non potest constitui per intelligere. Prob. min. Intelligere cum sit operatio præsupponit secundum nostrum concipiendi modum intelligentem intellectum & speciem intelligibilem; ergo intelligere secundum nostrum concipiendi modum præsupponit aliquid prius.

Resp. 1. neg. min & dist. ant. intelligere ut est actio præsupponit intelligentem intellectum & speciem intelligibilem, con. intelligere, ut est ultima actualitas completa & per se subsistens præsupponit intellectum & speciem intelligibilem, neg. quia intelligere potest considerari, ut jam dictum fuit, sub duplici formalitate, scilicet, ut est operatio, & ut est ultima actualitas. Natura autem divina constituitur per intelligere non ut est operatio, sed ut est ultima actualitas.

Resp. 2. Dist. etiam alteram partem ant. intelligere ut est actio creata præsupponit intellectum & speciem intelligibilem, con. intelligere ut est actio increata, neg. quia licet operatio creata & finita cum omnibus suis imperfectionibus involuta præsupponat principium constitutivum, cum exigat ab illo egredi; non tamen operatio increata & infinita quæ habet rationem operationis formaliter eminenter: intelligere autem in Deo est infinitum & illimitatum, & continet eminenter formaliter rationem operationis, speciei intelligibilis & principii tam proximi quam radicalis intelligendi; eo ferè modo quo anima rationalis eminenter & formaliter continent animam vegetativam & sensitivam: unde sicut anima rationalis in homine non solum est principium intelligendi sed etiam vivendi & sentiendi; ita intelligere in Deo non solum est operatio, sed est etiam principium operans, & species intelligibilis.

Obji. 3. Et ult. si natura divina constitueretur per intelligere, esse & intelligere in Deo essent unum & idem, & secundum rem & secundum rationem: atqui intelligere & esse in Deo non sunt unum & idem secundum rem & rationem; ergo natura divina non constituitur per intelligere. Prob. min. ex S. Tho. 1. par. quæst. 1. art. 2. In Deo non est aliud esse & intelligere secundum rem, sed etiam secundum rationem; ergo intelligere & esse in Deo non sunt unum & idem secundum rationem.

Resp. neg. min. & ad prob. dist Aucth.

D: Tho. non est aliud esse & intelligere secundum rem, sed etiam secundum aliquam rationem per distinctionem quæ nullum habeat fundamentum, con. per distinctionem quæ habet fundamentum, neg. quia S. Tho. ibi loquitur de distinctione rationis quæ fundatur in nostro concipiendi modo res divinas per quandam analogiam ad creatas res inquibus esse & intelligere realiter distinguuntur, non autem de distinctione quæ habeat fundamentum in Deo, & quæ appellatur distinctio virtualis.

Inst. atqui esse & intelligere non sunt unum & idem secundum rationem per distinctionis fundamentum; ergo nulla solutio. Prob. subs. velle & esse in Deo non sunt unum & idem secundum rationem per distinctionem rationis fundatam; ergo intelligere & esse non sunt unum & idem secundum rationem per distinctionem rationis fundatam. Prob. conseq. ex S. Tho. in Annibaldum distinct. 85. quæst. 1. art. 2. ad 3. Sicut intelligere idem est cum essentia, sed differens ratione, ita & velle; sed velle differt ab esse divino virtualiter, & distinctione rationis fundata in re concepta, & non solùm in nostro concipiendi modo; ergo intelligere differt ab esse divino distinctione rationis fundata in re concepta, & non solùm in nostro concipiendi modo.

Resp. neg. subs. ad cujus prob. neg. consq. & dist. auth. S. Tho. sicut intelligere est idem realiter cum essentia & differens ratione; ita & velle secundum quid & inadæquatè, con. simpliciter & adæquatè, neg. quia

conveniunt in hoc velle & intelligere quod non distinguantur realiter & distinguantur tamen ratione, sed in hoc differunt quòd non distinguntur eodem modo ratione; velle enim differt ab esse distinctione rationis ratiocinatæ quæ habet fundamentum in conceptâ re. Cum verò intelligere sit constitutivum naturæ divinæ distinguitur tantùm distinctione rationis ratiocinantis quæ nullum habet fundamentum in re concepta.



ARTICULUS V.

Vtrum attributa Dei distinguantur ab essentia & inter se distinctione formali ex natura rei.

NOtandum est 1. Attributa definiri formam absolutam formaliter in Deo existentem & profluentem ab essentia per modum partis. 1. Attributa dicuntur forma absoluta ut distinguantur à relationibus quæ non sunt attributa, cum non sint communes tribus personis. 2. Attributa dicuntur formaliter existere in Deo, ut distinguantur à perfectionibus secundum quid, quæ in Deo solum existunt eminenter. 3. Denique dicuntur profluere ab essentia, quia attributa divina non sunt constitutiva naturæ divinæ, sed illam solum modificant.

Notandum est. 2. Et ultimò; attributa esse in triplici differentia: quædam exprimuntur per rationes positivas & nominibus affirmativis, ut bonitas, justitia. Alia exprimuntur per rationes positivas & nominibus negativis, ut infinitas, immensitas. Alia denique exprimuntur per rationes positivas & nominibus affirmativis sed non possunt intelligi nisi per ordinem ad creaturas, ut omnipotentia.

Dicendum est attributa Dei non distingui ab essentia, nec inter se distinctione formali ex natura rei, sed solum distinctione rationis ratiocinatæ fundatæ in distinctione virtuali.

Prob. prima pars concl. Si essentia & attributa distinguerentur actualiter sequeretur quod natura divina non esset infinitè perfecta: atqui illud non potest dici; ergo nec aliud. Prob. sequela. maj. Quod non habet in se totam perfectionem, non est infinitè perfectum: atqui essentia divina non haberet omnem perfectionem, quia non esset sapiens nec justa ex se, sed per aliquas entitates sibi realiter superadditas; ergo si attributa divina distinguerenter actualiter ab essentia, natura divina non haberet ex se omnem perfectionem.

Prob. secunda pars concl. Unitas & simplicitas in Deo est perfectio; ergo debet reperiri in eo perfectiori modo: atqui reperitur in Deo perfectiori modo si admittatur distinctio virtualis, quam si admittatur distinctio formalis ex natura rei; ergo inter attributa divina debet tantùm admitti distinctio virtualis, non verò distinctio formalis ex natura

rei. Prob. min. Distinctio formalis ex natura rei cum sit magis & major distinctio quàm ipsa distinctio virtualis, magis destruit unitatem & simplicitatem Dei : ergo unitas & simplicitas perfectiori modo reperitur in Deo si admittatur distinctio virtualis, quam si admittatur distinctio formalis ex natura rei.

Obj. 1. Illa distinguuntur actu de quibus verificantur duo contradictoria : atqui de attributis divinis & essentia &c. verificantur duo contradictoria ; ergo attributa distinguntur distinctione formali ex natura rei. Prob. min. Veræ sunt istæ propositiones, Deus intelligit per intellectum, non per essentiam, & per voluntatem essentia non producitur, filiatio verò producitur ; ergo de attributis divinis verificantur duo prædicata contradictoria.

Resp. neg. maj. Quia, ut dictum fuit in Logica ubi agebatur de distinctione inter gradus Metaphysicos, distinctio virtualis sufficit ut tollatur contradictio.

Obj. 2. Quæ habent diversas definitiones distinguntur actualiter & formaliter ex natura rei : atqui essentia & attributa Dei habent diversas definitiones ; ergo distinguntur actualiter & formaliter ex natura rei. Prob. min. Essentia definitur illud quo Deus est principium radicale suarum operationum & attributorum. Intellectus verò est illud quo Deus intelligit ; & voluntas est illud quo Deus amat ; ergo essentia & attributa habent diversas definitiones.

Resp. dist. maj. Quæ habent diversas definitiones adæquatas distinguntur actualiter ;

con. quæ habent diversas definitiones inadæquatas, distinguntur actualiter, neg. Similiter distinguenda est minor propositio: atqui essentia & attributa Dei habent diversas definitiones inadæquatas, conc. adæquatas, neg. Quia illa dicuntur definiri definitione adæquata quæ definiuntur ut sunt à parte rei. Illo autem modo possunt definiri à Deo, vel ad summum ab intellectu Beati: illa autem dicuntur habere definitionem inadæquatam quæ definiuntur prout à nobis viatoribus imperfectè & per alienas species concipiuntur. Si primo modo definirentur non haberent diversas definitiones sed unam.


Obj. 3. In Deo non potest esse compositio rationis; ergo nec distinctio rationis. Prob. conseq. Non minus repugnat distinctio rationis summæ ejus unitati quàm compositio rationis summæ ejus simplicitati; ergo cum in Deo non possit esse compositio rationis, non potest etiam esse distinctio rationis.

Resp. neg. conseq. & paritatem. Ratio disparitatis est quia compositio rationis fundatur in potentialitate objecti in quo debent esse duæ formalitates, seu conceptus objectivi, quorum unus se habeat ad alterum ut potentia ad actum, & perfectibile ad perfectivum. Distinctio verò rationis fundatur in summa perfectione & eminentia entitatis increatæ æquivalentis plurimis perfectionibus.

Obji. ult. Si in Deo intellectus & voluntas distinguerentur tantum ratione, sequeretur quod Deus intelligendo peccatum vellet peccatum

catum: atqui non potest dici quod Deus velit peccatum; ergo voluntas & intellectus distinguntur plusquam ratione.

Resp. neg. maj. Quia ut illa omnia non sint vera, sufficit distinctio virtualis inter voluntatem & intellectum.



QUÆSTIO ULTIMA.

De Ente rationis.

CUM jam in Logicâ probatum fuerit ens rationis esse objectum Logicæ, superest, ut in ista quæstione quæratur, quid sit, & quotuplex, & an detur ens rationis; secundo per quam potentiam fiat.



ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit, & an detur Ens rationis.

NOtandum est primò, Ens rationis in tota sua latitudine sumi pro illo quod dicit aliquam habitudinem ad rationem; & quia triplici modo aliquid potest dicere habitudinem ad rationem, scilicet effectivè, sub-

rationis vocatur relatio rationis. Ens rationis negativum est illud quod fit, quando concipimus carentiam alicujus formæ in subjecto apto; ita cæcitas in lapide dicitur negatio. Ens rationis privativum est illud, quod fit quando concipitur carentia formæ in subjecto apto; ut cæcitas in homine, tenebræ in aëre; ut autem intelligatur, quomodo privationes & negationes dicuntur entia rationis, advertendum est negationes & privationes posse sub duplici formalitate considerari. 1. Ut sunt carentia alicujus formæ; & hoc modo sunt entia relativa, non positiva, sed privativa vel negativa. 2. Possunt considerari per modum alicujus formæ positivæ afficientis subjectum; & ita sunt entia rationis.

Dicendum est, dari ens rationis.

Prob. Dantur non entia concepta ad modum entis: atqui non entia concepta ad modum entis sunt entia rationis; ergo dantur entia rationis. Prob. maj. Dantur privationes & negationes: sed privationes & negationes sunt non entia concepta ad modum entis; ergo dantur non entia concepta ad modum entis. Præterea Arist. 6. Metaph. ait, *Duplex esse ens; unum quod est in re, alterum quod est in apprehensione*: atqui ens quod est in apprehensione est ens rationis; ergo datur ens rationis. Prob. min. Esse ens in apprehensione est habere tantum esse objectivè in intellectu: sed habere esse objectivè in intellectu est esse ens rationis; ergo ens in apprehensione est ens rationis.



ARTICULUS ULTIMUS.

Per quam potentiam fiat ens rationis.

NOtandum eſt, quòd certiſſimum eſt ens rationis fieri ab intellectu, ſed dubitatur an fiat à voluntate; & quia ſenſus videntur quodammodo & imperfectè rationem imitari, dubitatur an ens rationis poſſit fieri à ſenſibus tam internis quam externis: ſenſus autem interni ſunt quatuor, ſcilicet *ſenſus communis*, qui diſcernit objecta ſenſuum externorum, dum actu percipiuntur ab illis. *Phantaſia* in hominibus dicta imaginatio, eſt ille ſenſus qui ſpecies ſenſatas aſſervat. *Æſtimativa* quæ in homine dicitur cogitativa, eſt ille ſenſus qui percipit objecta ſenſibilia præſentia ſecundum rationes inſenſatas. *Memoria ſenſitiva* eſt facultas animæ ordinata ad percipienda objecta ſenſibilia abſentia: quinque etiam ſunt ſenſus externi, ſcilicet viſus, auditus, guſtus, odoratus & tactus; dubitatur etiam an ens rationis fiat ab intellectu divino & ab intellectu Angelico.

Dicendum eſt 1. Ens rationis fieri ab intellectu humano, non verò à voluntate neque à ſenſibus.

Prob. Facere ens rationis eſt concipere non ens ad modum entis: atqui ſolus intellectus concipit non ens ad modum entis; ergo

solus intellectus facit ens rationis. Prob. min. Si quæ alia potentia conciperet non ens ad modum entis, maximè voluntas & sensus: atqui voluntas neque sensus percipiunt non ens ad modum entis; ergo solus intellectus percipit non ens ad modum entis. Prob. min. Quoad omnes partes. 1. Voluntas non concipit non ens ad modum entis, quia est potentia cæca. 2. Sensus feruntur in objecta extra se posita; & proindè illa objecta sunt realia, quia quidquid est extra potentiam cognoscentem est reale; ergo neque voluntas neque sensus concipiunt non ens ad modum entis. Præterea repugnat ens rationis fieri à potentiâ distinctâ ab intellectu; ergo fit à solo intellectu. Prob. ant. Repugnat ens rationis esse ens rationis & non esse: atqui si fieret à potentiâ distinctâ ab intellectu, esset ens rationis & non esset; esset (ut supponitur) & non esset; quia si fieret à potentiâ distinctâ ab intellectu, non esset effectus rationis, & ita non esset ens rationis.

Dicendum est 2. Deum non posse facere ens rationis.

Prob. Cognitio imperfecta non potest convenire Deo: atqui cognitio per quam producitur ens rationis, est cognitio imperfecta; ergo non potest convenire Deo; proindè Deus non potest facere ens rationis. Prob. min. Cognitio per quam res concipitur aliter ac est, est cognitio imperfecta: atqui cognitio per quam producitur ens rationis, est cognitio rei aliter ac est; ergo cognitio per quam producitur ens rationis, est cognitio imperfecta.

Dicendum est ultimò. Intellectum Angelicum naturaliter consideratum posse facere ens rationis.

Prob. Intellectus Angelicus concipit distinctionem ubi non est distinctio, scilicet inter misericordiam & justitiam Dei; ergo intellectus Angelicus naturaliter consideratus concipit non ens ad modum entis; & proindè facit ens rationis.

Obji. 1. Voluntas appetit bonum apparens & impossibile quasi bonum verum & possibile; ergo voluntas facit ens rationis.

Resp. dist. ant. Voluntas appetit bonum apparens & impossibile tanquam verum bonum & possibile, præsuppositivè conc. formaliter neg. Quia quando voluntas amat bonum, non apprehendit bonum, sed præsupponit apprehensum ab intellectu.

Obj. 2. Voluntas ordinat aliqua ad illa ad quæ non sunt ordinanda; ut Deum ad creaturas, eleemosynam ad vanam gloriam; ergo voluntas facit ens rationis.

Respond. distinct. ant. Voluntas ordinat aliqua adea, ad quæ non sunt ordinanda, præsuppositivè conc. formaliter neg. Quia voluntas non aliquid ordinat, sed præsupponit ordinatum ab intellectu; siquidem ad illam potentiam tantùm pertinet ordinare, ad quam pertinet cognoscere: atqui ad intellectum tantùm pertinet cognoscere; ergo ad intellectum tantùm pertinet ordinare.

Obj. 3. Imaginatio facit ens rationis; ergo sensus interni faciunt ens rationis. Prob. ant. Imaginatio componit ea quæ sunt incompossibilia; ut ex auro & monte facit montem au-

reum, ex lacte & aqua facit flumen lactis; ergo imaginatio facit ens rationis.

Resp. neg. ant. ad cujus prob. dist. aliud ant. Imaginatio componit ea quæ sunt incompossibilia negativè conc. positivè nego. Quia componere negativè ea quæ sunt incompossibilia, est non apprehendere illa ut sunt in se, & hoc pertinet ad imaginationem; componere verò positivè, quod est facere ens rationis, est apprehendere unionem illarum partium, & hoc pertinet tantùm ad intellectũ.

Inst. Chymæra est ens rationis: sed imaginatio facit chymæram; ergo facit ens rationis.

Resp. dist. min. Imaginatio facit chymæram quantum ad mixturam specierum cõnc. quantum ad relationem existentem inter ipsas partes neg. Quia in chymæra duo sunt. 1. Est aliqua phantasmatum & diversarum specierum mixtura, quæ quidem pertinet ad imaginationem, quia (ut ait D. Tho. 1. p. q. 12. art. 3. ad 2.) *Imaginatio ex præconceptis speciebus rerum diversarum habet vim eliciendi & formandi tertiam speciem quæ simul repræsentet omnes illas res.* 2. In chymæra est quidam ordo apprehensus inter partes diversorum animalium ad componendum unum totum; & illa relatio est ens rationis, & apprehenditur & fit à solo intellectu.

Obji. 4. Sensus externi apprehendunt non ens per modum entis; ergo faciunt ens rationis. Prob. ant. Sensus externi versantur circa sensibile universale & in communi: sed non datur universale à parte rei; ergo versantur circa non ens per modum entis.

Resp. neg. ant. ad cujus prob. dist. maj. Sensus versantur circa sensibile universale adverbialiter sumptum conc. nominaliter sumptum neg. Quia versari circa sensibile universale adverbialiter sumptum est apprehendere aliquid sensibile in particulari, non apprehensâ ratione communi; quod faciunt sensus extremi, v. g. visus non apprehendit colorem in communi, sed aliquem colorem in particulari licet color in communi sit ejus objectum, hoc est illud omne quod convenit ratione coloris. Versari verò circa sensibile universale nominaliter est cognoscere rationem communem & universalem non cognito aliquo particulari; quod pertinet tantùm ad intellectum.

Obji. 5. Sensus externi apprehendunt rem aliter ac est in se; v. g. oculus videt umbras quæ nihil sunt, gustus febricitantis apprehendit res dulciores & amaras; ergo sensus externi faciunt ens rationis.

Resp. dist. ant. Sensus externi apprehendunt rem aliter ac est negativè conc. positivè neg. Quia facere ens rationis est apprehendere rem aliter ac est in se positivè, hoc est concipere in re aliquid quod non est, quod non faciunt sensus externi; siquidem oculus non concipit in tenebris entitatem, nec gustus febricitantis concipit amaritudinem in cibis dulcioribus, sed hoc facit intellectus; ergo solus intellectus facit ens rationis.

Obji. 6. Deus facit ens rationis; ergo non solùm intellectus humanus facit ens rationis. Prob. ant. Deus cognoscit ens rationis: sed cognoscere ens rationis est facere ens ratio-

nis ; ergo Deus facit ens rationis.

Resp. neg. ant. ad cujus prob. dist. maj. Deus cognoscit ens rationis speculativè conc. practicè neg. Quia ens rationis potest cognosci duplici modo, scilicet speculativè & practicè. Cognoscere speculativè est considerare naturam entis rationis. Cognoscere verò practicè est apprehendere rem aliter ac est in se. Deus cognoscit primo modo, hoc est speculativè, quia Deus cognoscit actus nostros quibus formamus entia rationis ; ergo cognoscit entia rationis quæ resultant ex actibus nostris ; Deus autem non cognoscit secundo modo, hoc est practicè ; quia cognoscere practicè est apprehendere rem aliter ac est in se, quod non potest convenire Deo ; quia illud importaret imperfectionem in Deo.

Inst. Cognoscere practicè est apprehendere entia rationis ad modum entis realis : atqui Deus apprehendit entia rationis ad modū entis realis; ergo Deus cognoscit practicè. Prob. mi. Deus cognoscit res eo modo quo sūt cognoscibiles : atqui entia rationis sunt tantū cognoscibilia ad modū entis realis; ergo Deus cognoscit entia rationis ad modū entis realis.

Resp. neg. min. ad cujus prob. dist. aliam min. prop. Entia rationis sunt tantùm cognoscibilia ad modum entis realis ab intellectu humano conc. ab intellectu divino neg. Quia Deus cognoscit non entia ut non entia. *Deus* (inquit S. Tho.) *scit quæcumque sunt quocumque modo.*

Inst. Iterum scientia Dei est causa cognitorum ; ergo si Deus cognoscat entia rationis, facit ens rationis.

Resp. dist. ant. Scientia Dei est causa cognitorum voluntate adjunctâ conc. voluntate non adjuncta neg. Quia Deus cognoscendo res, facit illas quas vult, & cum non possit velle facere ens rationis, quia illud importat imperfectionem in Deo, non efformat entia rationis, licet cognoscat.

Obji. 7. Deus ab æterno cognovit divisiones faciendas ab hominibus circa attributa: atqui illæ distinctiones sunt entia rationis; ergo Deus cognoscit entia rationis, & proindè facit.

Resp. dist. min. Illæ distinctiones sunt entia rationis facienda ab intellectu humano conc. ab intellectu divino neg. Similiter distinguenda est conseq. Ergo Deus cognoscit entia rationis facienda ab hominibus conc. facta à se neg. Quia aliud est facere ens rationis & cognoscere ens rationis factum ab aliis; sicuti aliud est errare & cognoscere aliorum errores; & quemadmodum qui cognoscit aliorum errores non facit, ita licet Deus cognoscat entia rationis facta vel facienda ab hominibus, tamen non facit.

Inst. Atqui Deus cognoscit entia rationis tanquam facta à se; ergo nulla solutio. Prob. subs. Illæ distinctiones quas cognoscit ab æterno, habent tantùm esse objectivum in intellectu divino, cum intellectus humanus nondum esset; ergo Deus cognoscit illa entia rationis ut facta à se.

Resp. neg. subs. ad cujus prob. dist. ant. Illæ distinctiones habent tantùm esse objectivum in intellectu divino non fingente conc. in intellectu divino fingente neg. Quia licet

Deus cognoscat distinctiones faciendas ab hominibus, non judicat tales distinctiones esse in se; ideò nec fingit esse in se, nec facit ens rationis.

Obji. 8. Respectus Ideales essentiæ divinæ ad creaturas sunt entia rationis ex S. Tho. atqui tales respectus causantur ab intellectu divino; ergo intellectus divinus facit entia rationis.

Resp. 1. dist. maj. Respectus Ideales essentiæ divinæ sunt entia rationis si illi respectus cognoscantur tanquam relationes subjectivè existentes in Deo conc. si concipiantur tanquam relationes terminativè tantùm existentes in Deo neg. Similiter disting. est min. prop. Tales respectus causantur ab intellectu divino apprehendente tales relationes in se terminativè & in creaturis subjectivè existentes conc. apprehendentes illas relationes in se subjectivè existentes neg. Quia quando Deus cognoscit essentiam suam ut diversimodè imitabilem & participabilem à creaturis, format diversos respectus Ideales: v. g. quando considerat essentiam ut participabilem à leone, format conceptum, Ideam, & rationem propriam leonis, & hic est respectus unus Idealis; quando verò cognoscit essentiam ut participabilem ab homine, format conceptum & Ideam hominis, & hic est alter respectus Idealis, & sic de cæteris: sed quando Deus format illos diversos respectus Ideales, non judicat tales respectus esse realiter in se, quia Deus non potest referri ad creaturas: & ita licet Deus concipiat tales respectus verè in creaturis existentes, non

apprehendit res aliter ac sunt in se: proindè non facit ens rationis.

Resp. 2. dist. min. Atqui tales respectus causantur ab intellectu divino fundamentaliter conc. formaliter neg. Quia Deus intelligendo essentiam ut diversimodè imitabilem à creaturis, præbet intellectui creato fundamentum distinguendi plures Ideas in Deo & plures respectus ad creaturas.

6. Obji. ultimò contra ultimam conclusionem. Angelus non concipit rem aliter ac est in se: ergo non facit ens rationis. Prob. ant. Angelus cognoscit rem per species à Deo acceptas quæ repræsentant res ut sunt in se: ergo Angelus non apprehendit rem aliter ac est in se.

Resp. dist. ant. secundum. Angelus cognoscit rem quæ potest habere speciem, per species à Deo acceptas conc. cognoscit rem quæ non potest habere speciem neg. Quia quando Angelus cognoscit privationem, non cognoscit illam per speciem propriam: quia privatio nullam habet sui speciem, & ita cognoscit privationem per speciem formæ oppositæ: & proindè apprehendit rem aliter ac est, & facit ens rationis.

FINIS.



193

F. S.


LEGATORIA A. PANDIMIGLIO
ROMA
1971